

2
M
SINGAPORE
FRANCIS
1880

an. gen. T. 1. 3 Halbes...
letzte Bl. def.

coll. R



LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY
OF ILLINOIS

Emblems

X. 32. 9

T72s

Rare Book &
Collections Library



SYMBOLICA
VITÆ CHRISTI
MEDITATIO.



THOMA TRETERO
 1671: 8a Ed. 1671:
 Vindob. Avstriae.

Nunc. primum edita.

BRUNSBERG.

Typis Geor. Schönbels.
 (M. G. S. S. P. S. S. S. S.)


AN. DÑI M. DC. CCLII.



DE DIGMATE PRÆVLARI.

S.

R.



E.

V.

Appingi huic operi IACVLVM patiare CRVCEMq;
O HIERARCHA tuæ digma triforme domus.
Conuenit huic operi (tibi namq; dicatur) idipsum,
Quod CHRISTI geminam vulgat in orbe crucem.
In pia corda TRETERTVS ab hoc iaculatur amorem
Sanctum, emblematis dogmatibusq; pijs.
Crux sua vita fuit, Crux fata nouissima CHRISTO,
Nos vt amatores redderet ille crucis.
Quisquis amans Crucis est, CHRISTI censetur amator.
CHRISTI virtutes verus amator amat.

232.9
T 724

VARMIANA.

<p>Hierosolymitana Peregrinatio Illustrissimi Domini Nicolai Christophori Radziuili Niesuifi- en: & Olycen: Ducis &c. &c. La- trinitate donata.</p> <p>2 Sacratissimi Corporis Christi historia & miracula quæ in Ecele- sia Posnan: D. Bonitas operatur collecta & æneis typis per Blasi-</p>	<p>um Treterum illustrata.</p> <p>3 Series & Acta Episcoporum Posnanien: soluta oratione .vt &, quæ nondum prodijt, vineta.</p> <p>Mitto complura pietatis monu- menta & incitamenta æneis tabu- lis graphicè ab eodem incisa & excusa.</p>
---	---

Iure hæc illi elogia posthuma Famâ occinit.

I.

VArmia semper habes, te quorum scripta celebrēt
Virtute insignes ingenioq; viros.
Sylvius & Cromer Historijs, Copernicus astris
Clarus auitæ Hofius Relligionis Atlas,
Vates Dantiscus, numeras & in hiscè Treterum?
Iure. Sed, heu, quantum Varmia Sidus humas!

II.

Pennâ, peniculo, cestris astrisq; Tretere,
Tu Numa, Naso, Mycon vnus erasq; Myron.

III.

Brunoris Articolâ te Nato Posna, Tretere,
Roma palatino, Varmia lata Patre.

SUMMA PRIVILEGII.

CAutum est Privilegio S.R. Maiest. Polonia, ne quis Typographorum, Bibliopolarum, aliorumue, qui librariam negotiationem exercent, libros novos, quos Georgius Schönfels Typographus Brunsbergensis, primus in lucem ediderit, citra eius voluntatem, quocunq; modo, caractere aut forma, lingua aut idiomate edere aut venundare, intra Regni Dominiorumq; Polonia fines, &c. audeat, sub pœna confiscationis librorum, & alijs: vti latius patet, in literis S. Maiest. Regiæ, datis Varsavia die 10. Octob. Anno Domini, M. DC. XII.





PRÆCURSOR CHRISTI.



Noctis tenet Et confinia lucis.




IOANNES Baptista, quo inter natos mulierum maiorem non surrexisse Christus ipse testificatur, aptè congruenterq; cum mane oriente Lucifero potest comparari: qui sicut accessum solis antevertere consuevit, ita Ioannes Christi

Malach. 4

Domini veri iustitiæ solis, præcursor fuit & emissarius, veteribus quidem legis vmbri finem, nouæ auté euangelij luci principium ostendens. Huius aduentum non obscure prædixit Malachias, vbi in seruatoris persona loquitur;
Ecce ego mitto Angelum meum, & preparabit viam ante faciem meam. Malach. 3.

VOX CONSONA FACTIS



Prædicatio

1. Tim. 2.

Joannis Baptistæ præcursoris Dñi, grauissimam sustinet apud nos Præcones verbi Dei personam: qui dum auditorum mentes, instando oportune, importune, arguendo, obsecrando, increpando, à vitiorum sordibus expurgare conantur, venienti Christo viam quodam modo in cordibus fidelium præparant. Ad explendum auté munus hoc, duo sunt illis maxime necessaria, Dicendi scilicet grauitas, per tubæ figuram sic expressa, (quod enim tubicines in bello contra corporeos; hoc sunt prædicatores in Ecclesia contra spirituales hostes) & actuum bonorum exemplum; quod manuum nomine frequenter in sacris literis de-

signatur.

signatur. His duobus ad amorem Dei & proximi homines
 vt plurimum incitantur, si videlicet eum, cui verbi Dei an-
 nunciandi cura est commissa, & doctrina & vitæ innocentia
 videant excellere: vt quod de Magistro nostro scribitur, ipse
 quoq; simul & docere & facere incipiat. Neq; verò statim,
 quod nostri temporis Hæretici facere videntur, aliquem of-
 fendere, & à Fidei vnitatem desciscendi occasionem alicui præ-
 bere debet hoc, si quis vitam cum Magistri doctrina non cõ-
 sentire perspexerit. Nam quid magis iniquum & ridiculum
 cogitari posset, quàm si miles ex acie hac tantùm de causa se-
 se proripere vellet, quòd qui classicum Imperatoris arbitrio
 canit, hunc intercutis, aut alio quopiam corporis morbo la-
 borare animaduertit. Pugnet ille nihilominus; & in clan-
 gore illo non infirmitatem tubicinis, sed mandatum Impera-
 toris sui attendat. Eadem nostræ militiæ spiritualis est ra-
 tio. Non quis sed quid & cuius nomine dicat est conside-
 randum. Dummodò ex præscripto Catholicæ Ecclesiæ
 (quæ sub vno Imperatore Christo eiusq; visibili in terris vi-
 cario, castrorum acies est ordinata) Verbum Dei legitime
 missus annunciet, & ad congregandum cum Mundo, Car-
 ne, & Sathana nos excitet; non est quod mores ipsius, si quid
 offensionis habent in se, nos ab vnitatem fidei retrahant. Id
 agamus, quod ille Christi voce, nos agere vult: vitam autem
 ipsius, non alia rone ad nos pertinere, putemus, quàm qua
 supportare nos inuicem in Charitate iubemur iudicium de
 eo reseruantes illis, quorum de vita & moribus Sacerdotum
 iudicare proprium est. Quoniam verò natura nostra, quasi
 semen quoddam malorum omnium de peccato primi paren-
 tis excepit; vt in alienis quidem vitijs curiosus inuestigan-
 dis diligentior, in proprijs autem corrigendis remissior sit;
QVI solus mundũ de immundo conceptũ semine facere po-
 tes, immuta tu quæso, Pientissime IESV, nostræ communis
 naturæ fragilitatem & concede vt quæ in proximis peccata
 videmus, ea non in scandalum sed in correctionem potiùs
 nostram trahamus. Aperi aures nostras, vt qui quasi tuba ex-

Act. x.

Ephes. 4.

Iob. 14.

altant vocem suam & annunciant populo tuo scelera eorum
 verbum vitæ prædicantes, eos cum fructu audire possimus.
 Da, vt quod ore docent, id nos vnâ cum ipsis, factis implere,
 & quam viam præcursores ij, venienti tibi in cordibus nostris
 sternunt; eam ad lætissimum gratiæ tuæ aduentum, vitiors
 obstructionibus amotis, amplam & immaculatam conser-
 uare studeamus.

INCARNATIO.



Sub lege veri; sine lege mariti.

Magni illius mysterij, quo Christum extra naturæ ordinem, ex purissimis Mariæ sanguinibus susceptum credimus, symbolum quoddam fuit vellus illud Gedeonis, rore Cælesti rigatum. Quemadmodum enim sine strepitu in lanæ vellus imber infunditur; ita sæculo ignorante Dñus IESVS ex Cælestibus suis templis, immigravit in castissimum Virginalis vteri Cubiculum. Ipsam autem virginem Mariam, rectè velleri posse comparari scribit Ambrosius, quæ ita concepit Dñum, vt eâ toto hauriret corpore: de cuius fructu salutaria populis vestimenta texuntur: de cuius molli sinu agnus egressus est, qui & ipse matris laniciem hoc est carnem gestans, molli vellere cunctorum operit vulnera peccatorum. Atque hac quidem ratione saluatorem in vterum virginis descensurum Dauid testatus est, dicens:

Descendet sicut pluvia in vellus.

Iudic, 6.

*Ambrosii sermon.
13.
de Natiuitate
Domini.*

Psal. 71.



Quemadmodum Amygdalus, arborum omnium prima
A 3
flore

floret, & vt vberiores fructus adferat in radice clavis perforari solet; ita fides in nobis virtutum prima florere nosq; ad Charitatem & reliquas virtutes disponere debet, Quoniam autem nostra fides in vera, Dei cognitione, & in mysterio Incarnationis Christi (rebus quæ mentē rationemq; humanam longè superant) esse posita videtur, ideo in radice cordis nostri clavis timoris & amoris Dei altius est perforanda, vt duobus his prouocati, assentiamur illis quæ quantò nostris obtutibus minus patent, tantò maius meritum, & fructus ampliores credentibus nobis acquirunt. Quid enim à ratione communi magis dissentit, quàm Deum hominem fieri? quid porrò contra naturam ipsam magis contendisse credendum est, quàm vt homo absq; vilo seminis adminiculo, in Virginis utero conciperetur? Mysterium hoc absconditum fuit à sæculis & generationibus, absconditum à sapientibus & prudentibus huius sæculi: qui cum acumine ingeniorum hæc occulta perspicere non possent, Deo vocanti parere recusarunt: manifestum autem est Sanctis, reuelatum est paruulis, quibus voluit Deus notas facere diuitias Sacramenti huius. vt per fidem & Deum hominem factum videat, & eum in utero Virginis absq; viri semine conceptum credant & agnoscant. Cum itaq; Fidei ianua, per quam ad Diuinarum rerum considerationem contemplationemq; ingredimur, nobis Diuino quodam munere, patefacta sit, hoc illius ita debemus vti beneficio, vt quæ intelligentiæ nostræ vim ac notionem fugere videntur, altiora nobis ne quæramus; Sed timoris potius & amoris stimulos nobis adiuuamus, quò semper augeatur & supererescat amygdalus hæc Fides scilicet nostra; vt non solum corde credamus ad Iustitiam, sed ore quoq; confiteamur ad salutem. At quoniam sine te Christe IESV, nihil facere possumus: quod olim Apostoli, idem nunc nos ad pedes Maiestatis tuæ prouoluti, supplices à te petimus: Adauge nobis fidem Dñe: tenebras & caliginē mentis nostræ radio tuæ claritatis discute in ser lumen sanctissimæ tuæ fidei, in tenebricosum cordis nostri tabernaculum;


quo

Coloss. I.
Matth. II.

Roman. IO
Luc. 17.

que illustrati mysticia nostræ salutis accuratius contempla-
ri, & quæ ad salutem nobis necessaria sunt, ea sine ulla hæsi-
tatione credere valeamus.

NATIVITAS.



Nigras discutit Umbras.

Nato Christo IESV, pulchrè Basilius mortem in
natura dominantem humana diuinitatis præ-
sentia disparuisse, exemplo solis, ortu suo glaciẽ
dissoluen-

*Homil. de
sum. Chri.
gnatione.*

Ambro. de
Nat. Dom.
Serm. 16.

diffoluenti, ostendit. Verus quippe sol Christus est, qui spiritu suo vivificat mortua, corrupta reparat, suscitavit iam defuncta: vel qui calore suo, purgat sordida, exurit fluida, decoquit vitiosa, Ipse, inquam, est qui in cunctis actibus nostris perspicit omnia opera nostra & non tam condemnat, crimina quam emendat. Hic planè est sol iustus & sapiens, qui non sine discretionem sicut istius sol mundi bonis ac malis similiter circumfertur, sed quodam iudicio veritatis, sancto lucet, occidit peccatori. Hunc solem mundo appariturum prædixit Isaias, cum diceret;

Isa. 9.

*Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem
magnam: habitantibus in regione um-
brae mortis, lux orta est eis.*



Ap. 3.

Christus IESVS verus iustitiae sol, posteaquam orbi illuxisset veritatis Divini cultus, quæ falsarum religionum superstitione diu obruta iacuit, vniuersis hominibus est ma-

nifesta


nifestata: in qua cum candorem lucis æternæ, imaginem videlicet Diuinæ bonitatis intueamur, speculum sine macula merito potest appellari. Hoc itaq; speculum hanc veritatis cognitionem, quandoquidem iam per fidem apprehendimus, præcipua nobis esse cura debet, vt ad frequentem illius inspectionem mentium nostrarum sordes abstergamus. Quorsum enim speculum adhibetur, si is qui maculas in eo faciei suæ videt, nullam de illis delendis cogitationem suscipit? Ad quid nobis manifestata veritas, ad quid Christus paruulus sic natus, si cum illo cælo non nascimur, si nos itidem paruuli & humiles non efficimur? Danda nobis est opera, vt ex seruatore nostro, qui propter nos durissimam peregrinationem hanc suscepit, omnium factorum nostrorū exempla petamus: & quam nobis vitæ regulam tradidit; ea omnia studia nostra metiamur, Hoc autem nos assequutos arbitrabimur, si quibus in rebus veritatis cognitio, ex Augustini sententia, consistere videtur, in eas aciem mentis nostræ diligenter intendamus: nempe vt primò nos ipsos cognoscamus, & quod esse debemus, esse studeamus: quod autem corrigendū est, corrigamus. Deinde vt cognoscamus & amemus creatorem nostrum: qui filium dedit in pretium redemptionis, spiritum sanctum in Priuilegium amoris, se deniq; seruat hæreditatem adoptionis. Quæ omnia si in speculo hoc diligentius contemplari fuerimus fieri non poterit, quin ad vitiorum spurcitiem exterminandam animam adijciamus: admovebimus manus operi bono: & **COGNOSCENTES** ea quæ muneris nostrisunt, **AGEMVS** quæ Deo grata nobis autem cum primis erunt salutaria. Tu autem benignissime **IESV** præsidio tuo, nos adiutos velis; vt post agnitam veritatis lucem ad nullas errorum tenebras prolabamur: quod tantò votis ardentioribus abs te postulamus, quanto plurib; exemplis didicimus, multis propter inobedientiam, contentionem, vel inanem gloriam, veritatis intelligentiam esse subtractam. Et quoniam tu Deus ex homine nasci voluisti, vt postmodum homines è Deo nascerentur: effice, quæso, vt

Sap. 7.

Manualis
cap. 26.

tanti honoris gradum, quo vilem creaturam tuam decorasti, rectè possimus agnoscere: vt nihil quod illi aduerfetur, admittamus; sed paruulorum more, vitæ innocentiam & cædorem integritatis induamur.

CIRCVMCISIO

*Legem lege resoluit.*

Matth, 5.

Aduersus
Ebionit.

Q Vandoquidem non soluere sed adimplere legem & Prophetas Christus Dñus venerat, carnis suæ præputium octauo die circumcidi passus est: vt ostenderet quemadmodû scribit Epiphanius, legem non alienam esse, sed ab ipso quidè datam; in figuris autem vsq; ad se durantem, vt in ipso & per ipsum quæ in lege deessent implerentur, arq; ita per eius sanguinem. Circumcisionis sanguis fisteretur. Umbra in lege præcessit.

Tulit

Tulit igitur Saphora acutissimam petram & Exod. 4.
circumcidit præputium filij sui, tetigitq; pedes
eius & ait, Sponsus sanguinum tu mihi es, &c.



Circumcisio veteris legis, cui se quoq; Christus Dñus vt
ei finem imponeret, subicere dignatus est, aliam quan-
dam circumcisionem designabat: quam non in manifesto in
carne, sed in abscondito in circumcisioe cordis, in spiritu
non in littera fundatam esse, vas electionis Paulus Aposto-
lus testatur quæ licet ad omnia vitia, ex mentibus nostris
procul exterminanda, referri potest, magis tamen proprie
ad non rectos animi impetus & corporum libidines coercen-
das pertinere videtur; eiusq; auctoritate domitas habere cu-
piditates & non minus corpore quàm mète. puros, Deo nos
exhibere ministros docemur. Et castitati quidem ea laus præ-
cipue debetur; quòd hac vna virtute, quàm proximè ad An-
gelos homo accedat; cum virginitatem seruare, non aliud sit
quàm Angelicam quodammodo vitam in terris ducere: cæ-
terum quo virtus hæc pulchrior. eò maioribus tentationum
periculis est obiecta, vt lilium inter spinas non ineptè possit
appellari. Verè namq; lilium est Castitas, quæ præter cando

Rom. 2.


rem & puritatem carnis, odorem summa suavitate conditū emittit, Deo quidem acceptissimum de se offerens holocaustum, homines autem ad innocentiam amorem sui exemplo prouocans. Porro antequam liliū hoc maturitatem suam assequatur, ita variarum tentationum spinis pungitur, ut periculum non leue sit, ne si frangatur, & candorem & odorem simul amittat. Nec enim dormit antiquus ille pudicitiam torius hostis Diabolus; qui vias omnes rationesque vestigat: ut à creatoris amore ad creaturam, à puritate vitæ ad voluptatū sordes homines traducat; cuius voti sui ut tantò facilius cōposefficiatur, & immundas cogitationes suggerit, & blandas turpitudinis illecebras hominum mentibus insinuat. Atque hæc sunt illæ spinæ, quibus expugnare Continentiam nititur: quarum aculeos qui volet euitare, necessum est, ut otia fugiat, & ieiunijs, vigilijs, orationibus, cilicijs corpus maceret. Dura sunt hæc, fateor, & spinis non dissimilia: sed spinæ hæc, ne liliū noxio tactu frangatur, prohibent, & illud ad eam maturitatis perfectionem deducunt, ut excussis Diabolicarum tentationum aculeis, crescere & in omni genere virtutum proficere possit. Quod autem in symbolo hoc tria sunt lilia posita, tres virtutes ad rem præsentem accommodatas, & in ipsa Christi Circumcisione expressas, ob oculos ponunt. Innocentiam scilicet in Christi infantia, Continentiam in præputio abscisso: Patientiam autem in cicatrice relicta: quæ vno quodam propinquitatis vinculo continentur. Nam & Castitas Innocentiam, & Innocentia Castitati, & utriusque optime consonat patientia. Hæc itaque sunt, quæ homines, cælestibus illis ciuibus similes efficiunt; ardua quidem illa, sed quæ magnam postmodum adferunt delectationem. *P E R A R D V A* si transferis, *D V L C I S* ex laboribus hisce tuis fructus ad te redundabit. cuius suauitatem, & hic in terris, ex consolationibus ijs quibus castas mentes, Deus sustentare consuevit, percipies maximam: & vbi corpore fueris exutus; inter eos proculdubio numeraberis: qui quoniam cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines sunt, & agnum sequuntur quo-

Apoca. I 4.

cunq;

cunq; ierit. Quoniam verò magnam virium nostrarum, quã ex primi hominis peccato miseri contraximus agnoscimus imbecillitatem: te, qui illæso virginitatis claustro, ex purissimo tuæ matris utero natus es, CHRISTE JESU, supplices oramus, vt immundas cogitationes, tuæ sanctissimæ gratiæ cultro in cordibus nostris circumcidas; carnalis desiderij fomitem, & quæuis incentiua prauæ libidinis ex mentibus nostris funditus euellas: quò non min9 corpore, quàm mente casti, dignè tibi seruire & tandem inter eos connumerari possimus, qui vitæ huius angustias immaculato calle transgressi, facie ad faciem tuæ Maiestatis gloriam in cœlis contemplantur.

APPARITIO.



Coëunt hoc fadere Gentes.

Matth. 2.
Ser. 4. de
Epiphan.
Domini.

T Res ab oriente Magi; ad Christum adorandum stella duce, perducti gentium ad Ecclesiam vocationem designabant. Vnde Augustinus debellaturus, inquit, Christus gladio spirituali per vniuersum orbem regnum Diaboli; sed prima puer spolia Idololatriæ dominationi detraxit, & vt ad se adorandum Magos conuersos, à peste illius superstitionis auerteret, & in hac terra nondum loquens per linguam loqueretur de cœlo per stellam. vt & quis esset, & quò propter quos venisset, non voce carnis sed virtute verbi, quod caro factum est, demonstraret. Hoc autem per Isaiam prædictum legimus.

Ioan. 2.

sa. cap. 60

Inundatio Camelorum operiet te: dromedarij Madian & Epba. Omnes de saba venient aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes.



Trium Magorum exemplo, qui aurum, thus, & Myrrham Christo recens nato obtulerunt, ad simile factum excitari debemus, vt ipsi quoq; spiritualia Deo munera offeramus. Ac illi quidem auro Regem, thure Deum, myrrha hominem moriturum, Christum Dñum sunt confessi; nos autē qui fideles iam facti, cum illis eandem fidei confessionē profiteamur. Puritatem præterea mentis cor contritum, & deuotionis affectum, Christo, si eum nobis esse propitium volumus, summa cum alacritate deferre ac consecrare tenemur. Phiala itaq; aurea (cū auro nihil magis purum & solidum sit) animus est humanus, qui omni sœda admistione liberari cupiens, purus & integer esse desiderat: quam ad rem consequendam, cor amaritudine myrrhæ perfusum, à vitiorum sordibus repurgatum, & igne pœnitentiæ diligenter examinatum habere debet: vt cum Sancto illo Rege & Propheta dicere possit; Probasti cor meum: igne me examinasti, & nō est inuenta in me iniquitas. Ex hoc autem quasi, ignis effulgens, & thus ardens, in igne, consurget suauissimus & Deo gratissimus pietatis & deuotionis odor: quo non solum hæc terrestris sed & cælestis illa domus replebitur: vt qui tale incensum Deo obtulerit, is cum Paulo meritò possit in Dño gloriari, Christi bonus odor sumus Deo, in ijs qui salui sūt. Quo magis itaq; mentes & corda nostra peccatis onerata videmus, eo maiori studio prouidere debemus, vt spiritus cōtribulati, cordis contriti & humiliati Deo sacrificium offeramus. *NON DESPICIET* ille munus hoc nostrum, quādo quidem illud à nobis vel maxime videtur exigere: Neq; tamen impius Hæreticorum nostri temporis error ferendus est; qui cū cordis tantum contriti sacrificium Deo offerri debere clamitent; externum illud & sacrosanctum corporis & sanguinis Christi (quam nos Missam vocamus) sacrificium prorsus abrogarunt: quo sublato quantum illis de illo quoq; altero, de quo tantoperè gloriantur relictum sit, nullus est qui non videat. Hæreticum mentis quædam facit elatio. An autem ibi potest esse humilitas, vbi superbia & inflatus car-

Psal. 16.

2. Corin. 2

nis sensus principatum obtinet? An & contritio cordis, ibi locum habet: vbi exulat humilitas? Cordis itaq; contriti & humiliati, verum sacrificium non habent Hæretici; qui quoniam spiritus quodam turbine versari videntur, ea quæ re distinguuntur, vt sui erroris! adstruant temeritatem, cæca quadam confusione inuoluunt, nec sacrificium à sacrificio: nec cultum exteriorem ab interiori discernentes. Nos verò Catholicæ fidei veritatem edocti, quemadmodum incruentum illud sacrificium (quo ineffabili quodam modo meritum passionis & mortis Christi, ad peccatorum nostrorum expurgationem, interponitur) per Sacerdotum manus in Ecclesia quotidie Deo offerri libenter confitemur; ita vt illius quoq; virtute & efficacia, contriti & humiliati cordis holocaustum tibi possimus offerre, tuum, Christe, auxilium supplices inuocamus: Ex nobis enim nil præter peccatum habemus: si quid boni facimus; à te id omne promanat. Da igitur dulcissime IESV, prior illud nobis; quod à nobis tibi dari præcipis. Da quod iubes, & iube quod vis. Gratiam tuã nobis infunde, vt de puritate mentiũ seruanda seriã tandem aliquando cogitationem suscipiamus, suscipientes autem, igne pœnitentiæ, vera videlicet contritione, integra Confessione, & debita satisfactione corda nostra aduramus & purgemus: quò carne mortificati, spiritu verò viuificati, digne tibi sacrificium laudis & gratiarum actionis offerre mereamur.



FVGA.

*Mihi peruia tellus.*

Herodes ille impius, diuturnam sibi dominationē comparare volens, cum ad inferendam Christo Dño recens nato Iudæorum Regi necem, nefario quodam furore incitaretur, Ioseph cum puero & matre eius in Ægyptum fugere iussus est, quæ res mirabilis rerū commutationem portendebat fore, ut ab Israelitico populo propter ipsius ingratitude[m], Regnum Dei ad gentes idolis deditas, quales fuerunt Ægyptij transferretur: ut illud Osee impletum iam videamus; Miserebor non Meæ: & dicam non populo meo, populus meus es tu. ipse dicet Deus

Matt. 2.

Osee 1.

meus es tu. De hac autem seruatoris nostri fuga apud eundem quoq; Prophetam scriptum legimus;

Ex Ægypto vocavi filium meum.




EA est apum natura vt modicum etiam fumi nidorem ferre non possint: quem si præsenferint, auolant illicò, & fuga sibi consulunt. Hanc apum solertiam omnes illi debent imitari, qui mellis instar dulces pietatis & sanctimonix fructus producere studēt. Fugiendæ sunt illis vel minimæ peccatorum occasiones: vitanda prauorū familiaritas & consuetudo: omnes præterea sæculi voluptates & illecebræ prorsus relinquendæ: quæ quantò turpiores sunt & breuius durant; tantò melius fumo possunt assimilari, qui & impurus est, & facile perit. Quoniam autè prisca gentilium superstitio fatorum quandam necessitatem, qua omnia contineretur, quam nullus effugere posset, induxerat; nos qui per Dei gratiam, veritatem religionis sumus assecuti, & liberam nos vel bene vel malè agendi habere potestatem profiteamur; nõ ad aliud nos, ceu fato quodam & vltima necessitate, magis adigi persuasum habere debemus, quàm vt vitiorum turpitu-

dinem, si salui esse velimus, necessarium nos fugere debere existinemus. Quamobrem quoties nos vel vitiosa nostra consuetudo, vel Diabolicæ tentationes ad peccandum inducunt, **FATIS** nos **PREMI**, extrema videlicet necessitate constrinxi nos arbitremur, ut peccato penitus renuntiantes: apium more ad teterrimum illius fumi odorem fugiamus: & Herodianam illam, maligni videlicet spiritus, qui nos ad perendum quærit, persecutionem declinantes, Christo Dño nos adiungamus, & in Ægyptum commigremus. Ægyptus angustia interpretatur. Angustum igitur iter debemus ingredi, si cum Christo viuere cupimus: ut à superbia ad humilitatem, à luxu ad continentiam, ab epulis ad ieiunia transeamus. Ita enim futurum est, ut Herodes moriatur, Sathanas scilicet cõriscat & persecutio illius amplius in nos sæuire non possit. Tu verò mitissime IESV nobis eam mentem inspira, ut sæculi vanitatibus postpositis, per viam mandatorum tuorum ad veram spiritus tranquillitatem peruenire festinemus. Effice ut fortentem hunc peccati fumum, quoties oculos mentis nostræ voluerit inficere, cane peius & angue deuitemus, tibi autem qui summa es dulcedo, corpore casto & mente humili semper adhærentes, ad cælestem illam Hierusalem, quod tu iam præcessisti, redire properemus.



INFANTICIDIUM.

*Flos succisus aratro.*

QUOD immanis ille tyrannus posteaquam Dñum IESVM lucem hanc aspexisse cognovit, eum indignissimè ipsa priuare constituerit, & omnes pueros qui erant in Bethleë ac in omnibus finibus eius à bimatu & infra, crudeliter occidendos curauerit; causam non aliam adfert Augustinus; quã vt in paruulis ostenderetur, non alios fuisse pro Christi nomine morituros, quàm innocentes, quàm humiles. Nam ex quibus lex tota pendet & Prophetæ etiam illum, præceptorum numerum, significauit bimatus illorum. Occiduntur pro Christo paruuli, Pro iustitia moritur innocentia: vide quàm pulchrè ista secùm conueniant. Cædem autem hanc infantium, prædixit ante Ieremias.

Matth. 2.

Aug. ser. 4
de Episc.

Aug. de In-
noc. ser. 2.
Euseb. E-
nuß. H. I.
de Epiph.

Vox in excelsō audita est lamentationis, luctus, & fletus Rachel plorātis filios suos, & nolentis consolari super eis, quia non sunt.

Jerem. 31.



Patentia +

AB ipsis statim Christi seruatoris incunabulis, legē Christianorū non aliud quā crucem seu martyrium quoddam esse, in crudeli illa puerorum ab Herode occisorum nece, apertē videtur omnibus demonstratum. Quam etenim illis mortem; immanis ille tyrannus, per scelus, intulit, eādem & alij quoq; multi, qui Christum constanter & liberē confiteri non dubitarunt, succedentiū sibi, temporum serie, ab hominibus teterrimis, & impia Gentilium superstitione imbutis, affecti sunt: vt nihil magis proprium Christianorum fuerit, quā pro CHRISTO IESU, probra, maledicta, conuicia, irrisiones, ac mortē ad extremum ipsā pati. Quoniam verō per suum primum deinde verō per martyriū quoque suorum sanguinem, Christus Dñs (admirabili quodā vincendi modo, potentia gentium debellata) vniuersum iam terrarum orbem, veluti quandam hæreditatem suam adijt:

exillimare

103. sup.
uang
Acti 35

existimare non debemus, cum occasio persecutionis desit, Martyrij meritum nobis etiam sublatum esse. Habet & pax nostra martyrium suum, inquit Gregorius: nam sine ferro & sanguine martyres esse possumus, si patientiam veraciter custodiamus. Huius itaq; virtutis, quæ nos absq; sanguinis effusione martyrij participes reddit & patientia vocatur, symbolum est iugum frumento superimpositum: ex quo nimirum quid nobis deinceps expectandum sit, ubi grauissimas iniurias nobis impositas, voluntaria obliuione contrinerimus, documentum capere possumus. Quemadmodum enim diligens agricola per iugum, boum ceruicibus impositum, terram ad excipiendum semen plurimo labore mollit, & quæuis incommoda perferre pro nihilo ducit. dummodo verbes diurnosq; laborum suorum fructus, tandem aliquando percipere possit: ita nos quoq;, dum spiritualem animis nostris culturam adhibemus, tolerare plurima debemus, si iucundissimos cælestis gaudij fructus merere desideramus. Voluntati propriæ renuntiare, iniurias æquo animo pati, vindictæ cupiditate non inflammari. Malum pro malo non reddere, graua & difficilia esse quæ non videt, sed quæ difficilia pulchra, quæ graua iucunda postmodum solent euenire, & exitus eorum tanto dulcior, quanto initium acerbis videbatur. Per Patientiam vt curram9 ad propositum nobis certamen, monet Paulus; aspicientes in auctorem fidei & consummatorem IESVM, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta. Sustineamus & nos quæq; dura, proposito nobis cælesti gaudio: & quoniam GAVDET PATIENTIA DVRI; huic iugo ceruices nostras vltro subiciamus, vt videlicet quæ pro peccatis à Deo flagella vobis infliguntur, ea patienter toleremus: quas aduersarius noster Diabolus rérationes nobis suggerit, eas forti & excelso quodam animo reijciamus: postremò, quæ à proximo nobis iniuriæ damna, & contumeliæ irrogantur, eas in charitate absq; vliscendi cogitatione: fortiter & moderatè supportemus. His enim tribus modis nostra soler exerceri pati-

entia


entia: quæ ubi probata diligenter fuerit, suis præmijs nunquã frustrari potest; & post constanter toleratos labores, fructus suauissimos, è Diuina benignitate promanantes, tam in hoc quàm in futuro sæculo percipiet.

Domine IESV Christe qui suavis & verus es, patiens & in miserimordia disponens omnia, mentes nostras ad ea quæ cunq; propter peccata nostra nobis euenerint aduersa, placide toleranda, gratia tua corrobora: ne vel propter impatiẽtiæ vitium, maiestati tuæ dum nos corripis, obmurmuremus vel Diabolo tentanti succumbamus, vel proximo nos persequenti, mala vicissim reddamus: sed potius quod iugum portamus, effice, vt id amemus: quod toleramus. tribue ne id odio prosequamur. Da patientissime IESV vt paruulorum more, in humilitate & simplicitate cordis ambulantes, pro sanctissimi nominis tui gloria, & Ecclesiæ sanctæ Catholicæ, quã tibi sponsam elegisti, augmento, nulla pericula, quoties opus fuerit, adire timeamus: nullis minis & terroribus, nullis Hæreticarum persecutionum procellis, à sacrosanctæ Fidei tuæ aperta cõfessione dimoueamur: quo per vitæ istius decursum, inter eos cõnumerari possimus, qui te verũ & otium patientiæ exemplar sequuti; fortiter extrema quæq; pro te pertulerunt, & tecum nunc immortalitatis honore vestiti, gloria perfruuntur sempiterna.

Sap. 15.

CCLO
CCLO

DOCTRINA.



Hoc rigante Virebo.

Luc. 2.

Christus Iesus perennis sapientiæ fons, à quo totius doctrinæ prudentiæq; riuus deducuntur, duodecim annos natus in templo in medio doctorum sedit, hoc facto volens innuere, neminem salutis æternæ vias alicui posse tradere, nisi Christi ipse prudentia regatur: deinde verò nullibi Christum eiusq; veram doctrinam posse reperiri, quàm in templo, Ecclesia scilicet Catholica, quàm in medio sanctorum Doctorum, quos virtus & gratia Dei mirificè extulit, ut lucerent sicut luminaria quædam in mundo verbum vitæ continentibus. Currant igitur quocunq; volunt Hæretici, nisi ad vnanimem Sanctorum Patrum consensum, nisi ad Ecclesiam, à qua se nefariè præciderunt, redierint; non est quòd se Christum inuenturos sperent: cum in sola Ecclesia, vera illa sapientia reperiat, de qua scriptum legimus.

Philip. 2.

*Fons sapientia verbum Dei in excelsis, & Eccles. 1.
ingressus illius mandata aeterna.*



Oleaster arbor est inculta, sterilis, & amara, eius tamen ramus si in Oleam insertus fuerit, sterilitate naturæ deposita, vbi altius excreuerit, fructus profert suauissimos. Eius igitur Symbolum, virtutem & efficacitatem Conuersationis Sanctæ nobis ob oculos ponit. Per Oleastrum enim anima prauis actibus contaminata potest intelligi, quæ dum blanditijs præsentium voluptatum delinitur & corrumpitur, agresti quadam negligentia, ad studia virtutum, & pietatis ac existimationis bonæ fructus producendos redditur inutilis. Hæc igitur vbi in oleam inserta fuerit: vbi in virorū bonorum consuetudinem se penitus immerferit, fieri non potest quin & ipsa pinguedine virtutum omnium repleatur, & alijs quoq; vtilitatis fructum præbeat amplissimum. SVC-COS OBLITA PRIORES, vtpote amaros, quos dum in quouis genere scelerum volutaretur; imbiberat, mutabitur in Oleam fructus dulcissimos adferentem, vt illud Prophetæ merito possit vsurpare; Ego autem sicut Oliua fructifera in

Psalm. 15.

Luc. 2.

Psal. 25.

nem iungere nos velit; exemplo suo Christus docuit, cum annos duodecim natus, Hierosolymis manens in templo in medio Doctorum sedens audiret & interrogaret eos: cum ijs utiq; qui quanto magis Ecclesiam malignantium oderunt, & cum impijs sedere cauent, tanto maiore studio, ad virtutum & pietatis amorem concitantur: in templo Dei, in vna, sancta, Catholica & Apostolica Ecclesia manent. in lege Dei die ac nocte meditantur: exemplo bono sunt omnibus, ad honestatem adhortantur, à turpitudine absterrent quos innocètia vitæ, morum suauitas, mentis optimæ conscientia, sermo castus & rectus, & ut breuibus complectar omnia, Timor Dei nobis præ cæteris commendat. Eos audire, interrogare, ac imitari debemus, si salubribus Sancti Regis illius monitis præceptisq; ducimur. Cum Sancto, inquit ille: Sanctus eris; & cum viro innocente, innocens eris. In medio eorum Christus inuenitur: Huc ergo properemus. Dominum IESVM, quem anima nostra per terrenas voluptates, cordis inconstantiam, negligentiam bonarum actionum intermissionem sæpenuero solet amittere, horum in medio queramus. Eos nobis socios & viuendi duces eligamus, qui in omni vita sua laudabiles sint, quorum familiaritate ad pietatem, sermone ad humilitatem semper excitemur. Omni cura provideamus, ut quod nos facere vult Petrus Apostolorum Princeps, quasi filij obedientiæ, non configurati prioribus ignorantia nostræ desiderijs, secundum eum qui vocauit nos, Sanctum, & ipsi in omni Conuersatione nostra sanctissimus, quoniã scriptum est, sancti eritis quoniam ego sanctus sum. Quod Romanis olim scripsit Doctor Gentium Paulus, cum Oleaster esses, misertus es, & socius radicis & pinguedinis factus es, hoc nobis quoq; scriptum existimare debemus, quoties à turpitudine ad honestatem, à vitijs ad virtutes, optimorum quorumq; familiaritate traducimur. Atq; tunc nobis elaborandum est, ut in Sancta Conuersatione in finem usq; perseverantes, bonis spiritualibus, quæ pinguedine gratiæ gloriæque corpus & animam ditant, repleti studeamus.

I. Pet. 1.

Rom. 2.

Tu autem Domine qui pedes veloces ab currendum in malum odisti; ad eos autem qui mundi & rectè incedunt statim euigilas, respice communis naturæ nostræ imbecillitatem, quæ cum in multis assidue offendant, à Sanctæ & piæ conuersationis tramite, sæpius aberrare consuevit. Hanc igitur nobis mentem, benignissime Deus, inspira; vt ne delectemur in semitis impiorum, nec placeat nobis malorum via, sed quæ iustorum semita, quasi lux splendens procedit & crescit vsq; ad perfectam diem per eam potiùs incedamus: vt te, dum à nobis, propter peccata nostra recedis, cum Maria virgine matre dolentes quæramus & inueniamus: inuentum autem, mundi voluptatibus abiectis, corde quieto, oratione assidua, auditu verbi Dei, completa satisfactione, & spiritualium iugi contemplatione perpetuò retineamus: quò sic, ex oleastro in Oleam mutati, à vitijs ad virtutes conuersi, sicut adipe & pinguedine replentur animæ nostræ, vt labijs exultationis os nostrum te perpetuò valeat laudare.


*Prouer. 6.
Iob: 8.*

Prouer. 4.

Psal. 62.



BAPTISMVS



Sic nascimur astris.

Matth. 3.
eBD apt.
Chri. ser. I

Posteaquam Christus à Iohanne in Jordanis aluco baptizatus est; nouo quodam sanctificationis genere, in salutem credentium, aquam fuisse lotam scribit Augustinus. Ex quo, inquit Saluator in aqua se merfit; ex eo omnium gurgitum

tractus

tractus, cunctorumq; fontium venas mysterio baptismatis consecrauit: & quisquis ibi in nomine Dñi baptizari voluerat, non tam illum aqua mundi diluit, quàm Christi vnda purificat. Saluator itaq; ideo voluit baptizari, non vt sibi mūditiā acquireret, sed vt nobis fluēta mundaret. Nec temere baptizato Christo, cœlos apertos fuisse Thomas memorat; sed vt ostenderetur, de cætero virtute cœlesti baptismum cōsecrari: per fidem baptismi cœlestia, quæ omnem sensum excedunt, inspicere baptismatis viam ad cœlum patere: & hoc ipsum, quod post baptismum cœlum aperitur credentibus, ex orationis virtute proficisci. Baptismi virtutem Dauid Rex & Prophetā in spiritu præuiderat, inquiens.

3. part. 9.
39. s. o.

Vox Domini super, aquas, Deus Maiestatis intonuit. Dñs super aquas multas,

Psal. 28.



IN Christo Dño qui se baptizari à Ioanne voluit, insigne nobis Humilitatis exemplum proponitur, vt ne eos con-

temnere velimus, quibus esse superiores videmur. Baptizari venit Christus ad Ioannem: magnæ id fuit humilitatis; Baptizare Christum Ioannes renuit; magnæ modestiæ fuit argumentum: ad quam tamen obedientia cum accessisset, Diuinæ voluntati Ioannes assensum præbuit. Ex Ioanne igitur modestiam cum obedientia, ex Salvatore autem nostro humilitatem discamus: cuius id vel maxime proprium est, vt seipsa cæteros iudicet meliores: quod cum alibi tum in Ecclesia Dei ministris non temerè iudicandis vel condemnandis præstare debemus, vt si eos ab honestate deuiasse viderimus non propterea statim, quæ nobis per illos administrantur, Sacramentorum vsum intermittamus: præcipuè cum ad multò se inferiore, vt ab eo baptizaretur, Christus descendere dignatus sit. Eius igitur exemplum sequuti humilitatem amplectamur omnes, quæ talis est, vt superioribus obediatur, æqualibus non se præferat, inferioribus, quod summæ demùm perfectionis est, se submittat. Hanc qui possidet, sacrificium quoddam in manibus habere videtur, quo Deum peccatis inensum placare possit. Contra inflatos autem spiritus, & mundanæ vanitatis fastus egregiè munitus est. Rectè igitur humilitas pisciculo, qui Echeneis vocatur potest assimilari, cuius in exiguo corpore tanta virtus elucet, vt nauem remis & velis incitatam, posteaquam illi adhæserit à cursu prohibere, ac remorari (vnde & Remora Latinis dicitur) nullo negotio possit. **EX HUMILI** & nullius ferè momenti pisciculo tam **POTENS** & administrationis plena virtus promanat, vt eam valida ventorum vis & maris æstus infringere nequaquam possit. Talis est reuera Humilitas, qua qui præditi sunt, mundo quidem abiecti & viles videntur; at si quis mentis oculis eorum actiones diligentius fuerit intuitus, videbit eos contra tumidos superbiæ spiritus, mundiq; vanitates, ea fortitudine & constantia dimicare, vt omnes ad hostis maligni conatus, quibus in hoc mundo navigantes, ad peccandi illecebras impellere saragit, viriliter redundant. Insignis est hæc humilitatis laus, quod in contē-

ptu honorem, in infirmitate maximam sibi potentiam comparet. Si potens igitur esse vis: si Diabolo terribilis. si voluptatum domitor esse desideras, humilitatem quæ virtutum fundamentum est amplectere: atq; ita *EX HVMLI POTENS* efficiere. Humiliare & apprehendisti, inquit Bernardus, Apprehendes disciplinam. Non solum legem Evangelicam (quâdoquidem lumen intelligentiæ, vt ait Gregorius, Humilitas aperit, superbia abscondit) cognosces, sed ea cognita, quæ ipsa præcipit adimplere curabis. Apprehendes vitam æternam in qua vocatus es. Ianua enim quædam est Humilitas, per quam credentibus ad virtutes Christiano homine dignas, atq; ita demum ad vitam æternam pater ingressus. Absq; hac, qui virtutes congregat, hunc in ventum puluerem portare scribit Gregorius. Quo magis nobis est contendendum, vt ad eius virtutis amorem inflammemur, sine qua quæ agimus etiam si laudabilia sunt, Deo placere non possunt.

25. Moral

Homil. 6.


1. Pet. 5.

Nunc igitur te ô clementissime *DEVS* qui superbis resistis humilibus autem das gratiam, supplices precamur: vt quam nobis humilitatis viam vnigenitus filius tuus, Dñs noster in omnibus suis actionibus, ostendit; eam currere festinemus. Da vt sub potenti manu tua humiliemur, cæteris nos viliores iudicemus, frequenti peccatorum admissorum recordatione ad humilitatis amorem, & præteritorum actuum malorum detestationem inducamur. Si quid autem boni fecerimus, concede, vt per veram humilitatem in nobis id iugiter conseruemus, superbix & elationis spiritum fugiamus: quo non alta sapientes, sed humilibus consentientes, vbi præsentis vitæ peregrinatione complera ad terribile extremi iudicij tribunal constituti fuerimus,

exaltari cum sanctis & electis

tuis mereamur.

AQVE IN VINVM MUTATIO.



Hic fontes Deus ipse nouos.

Ioan. 2.

Hom. 2. de
Epiph.

2. Cor. 5.

In Ioann.
Tract. 9

Illam mirabilem, quam Christus in Cana Galileæ fecit, aquæ in vinum mutationem, suis non caruisse mysterijs Eusebij Emiseni testimonio confirmatur. Operante, inquit, Christo in Cana Galileæ vinum fit, id est, recedit lex; gratia succedit, umbra remouetur, veritas repræsentatur: carnalia spiritalibus comparantur, in noui testamentum obseruatio vetusta transfertur, sicut beatus Apostolus dicit, vetera transierunt, & ecce facta sunt noua; & sicut aquæ illæ quæ in hydriis continentur, nihil minuunt; ex eo quod erant, & tunc incipiunt esse quod non erant; ita lex non perit per Aduentum Christi manifesta, sed proficit. Augustinus verò per aquâ in vinum mutatam libros Propheticos intelligit, in quibus si Christus non intelligatur aquæ insipidæ similes videri

possunt

possunt: si autem Christus in illis intelligatur, non solum sapit quod legis, sed etiam inebriat, mutans mentem à corpore, vt præterita obliuiscens, in ea quæ antè sunt extendaris. Hieronymus quoq; cum de sex hydrijs, in quibus aquæ in vina mutaræ sunt mentionem fecisset, scribit quotidie Iudaicos latites verti in vinum quod lætificat cor hominis, & Christi cruore fit dulcius. Umbra mutationis huius in lege præcessit.

In Ezech.
cap. 40.

Feceruntq; Moyses & Aaron, sicut præceperat Dñs, & eleuans virgam percussit aquam fluminis, coram Pharaone & seruis eius, quæ versa est in sanguinem.

Exodi 7:



Quemadmodum hedera, cum per se stare non possit, adheret arbori, & quocunq; rami illius protenduntur, ipsa quoq; crescit suamq; viriditatem diffundit: ita & fidelis anima, quæ exultatione innocentie exterisq; virtutum ornamentis florere desiderat, arbori Christo radicem in terra viuentium habenti, coniungere se debet; vt tali **ROBORE FVLTA VIRESCAT**. Christi scilicet vestigijs semper insistens in omni opere bono fructificet, crescat in sciètia Dei

*in quadā
Epistola.*

& quam maximè fieri potest, altioribus perfectionis gradibus ad summam virtutum amplitudinem peruenire contendat. Verissimum enim illud esse constat, quod à Bernardo scriptum legimus. Nemo perfectus, est qui perfectior esse non appetit. & eò perfectiorem quisq; se probat, quò ad maiore tendit perfectionem. Omnem igitur operam nostram in id studium conferre debemus, vt quam nobis seruator, noster rectè pieq; viuendi regulam tradidit, ad eam actiones omnes nostras dirigamus; & quantum nos à perfectione abesse intelligimus, tantum semper ad perficiendum contentions adiciamus. Hic enim scopus nobis in omni vita propositus esse debet, vt Christum qui bonitatis totius origo & fons est, diligamus, diligere autem non poterimus, nisi viam mandatorum Dei, quam nobis ille tritam reliquit, sequamur, vitia prauæ consuetudinis, exercitatione sancta abstergentes & de virtute in virtutem, more crescentis hederæ, progredientes. Quod Christum in Cana Galileæ fecisse scimus, vt aquæ naturam in vinum commutaret, idem vt de nobis quoque fiat, omni diligentia prouidere debemus. Ex aqua in vinum mutemur necesse est: à voluptaria ad spiritualem vitam transeamus oportet, si ad cælestes illas nuptias aspirare volumus. Quid enim aliud voluptas est, nisi aqua illa fluctuans, in qua vestigium nauis transeuntis non est inuenire, quæ cito transit, & ad sempiternum interitum, molliter animas deducit? Quid porrò vitæ spiritualis nisi vinum illud, quod lætificat cor hominis; quod oleo mistum vulnera peccatoris sanat, & animam dulcedine amoris inebriat? In melius semper proficiendum est. Fugiendum frigus illud aquæ extinguentis ignem, cupiditas rerum temporalium quæ ardorem spiritus suffocat è cordibus procul exterminanda. Vini autem compunctionis natura ita retinenda, vt feruor deuotionis; calor dilectionis, sine quo cæteræ virtutes neq; aliæ neq; crescere possunt, perpetuo in nobis augeatur, & instar hederæ in alium serpentis crescat. Neq; enim sufficit primo vinum bonum ponere à principio videlicet conuersationis sanctam

Sap. 2.

Psal. 103.

Luc. 10.

Cant. 5.

Psal. 59.

piamq;

piamq; vitam ducere, & tandem in turpitudinem prolabi; vt cum spiritu quis coeperit, carne ad extremum consu-
metur. Curandum est maxime vt de nobis quoq; dici possit, *Gal. 3.*
seruasti bonum vitium vsq; adhuc, perseuerasti vsq; in finem.
Conuersatio tua ad eum finem perfectionis deuenit ad quem
vinum diutius seruatum solet plerumq; deuenire. Hanc
igitur in omni possessione nostra acquiramus prudentiam,
vt in templum Dei vitium spiritu crescamus. Arripiamus il-
Prouer. 4. lam & exaltabit nos. Glorificabimur ab ea cum eam fuerim9
amplexati. Dabit capiti nostro augmenta gratiarum, & coro-
na incluta proteget nos.

Tu autem Dñe, qui omnia in abscondito vides, infelicis
animæ meæ frigiditatem adspice: quàm ad te amandum &
colendum segnis & tarda sit intuere. Aquis Ægyptijs simi-
lis factus videor, quibus decoqui mysticus agnus prohibe-
batur. Deuotio & cordis compunctio adeò friget in me vt
te agnum immaculatum attingere nequaquam possit. Quid
ergo? Aquam hanc frigidam & ignauiam meam, in vinum a-
moris & charitatis tuæ, pijsime I E S V, conuerte. Fac vt dul-
cedine tuæ suauitatis inebriatus, totus flagrem. Intercedat
mater tua, aduocata mea, pro me misero, apud te totius mi-
sericordiæ fontem. Et quia tibi parèt omnia, dic, vt vita pec-
cati, in vitam gratiæ, timor in Charitatem, desideria mea pra-
ua, in vnicum tui amorem transeant. Vasa arida cordis mei
aqua lacrymarum impleri iube quibus semper peccata mea
deslere. & qua ad purificationem animæ meæ nocte dieq;ue
vti possim. Hanc tu in vinum cœlestium consolationum, &
gaudiorum spiritualium C H R I S T E: J E S V, postmodum
conuerte eamq; mihi mentem inspira, vt ad vitia fugienda,
virtutes amplectendas, semper in melius proficiens exarde-
scam. Quo dulcedine tui amoris degustata, eos qui à te vel
per peccata vel per errorum tenebras aberrarunt ad te amā-
Psal. 33. dum adhorrari cum Propheta dicente valeam, Gustate

& videte, quoniam suavis est Dominus: be-
atus vir qui sperat in eo.

TENTATIO.

*Exacto certamine victor.*

Matth. 4.

Quod à capitali totius humani generis hoste, Christus Dñs noster tentari se passus est; vt cætera omnia, sic hoc quoq; erudiendi nos causa fecit, rationem nobis volens ostendere, qua Diabolicæ tentationis procellas deuitare possim. Et ille quidem, vt scribit Augustinus, tentatus est; sed non periclitatus, vt doceret te periclitantem in tēratione, tentatori respondere, & post tentatorem non ire, sed de periculo tentationis exire. Quoniam autem omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & su-

In Ioan.

Traët. 25.

1-Ioan. 2.

perbia

perbia vitæ; per ista tria tentatus est Dñus à Diabolo, vt de-
tentantis audaciam frangit, effrenatæ cupiditati, continen-
tiam; oculorum desiderijs, moderationem; superbiz ve: ó ha-
militatem nos opponere debere, exemplo suo doceret. Om-
nes itaq; machinas & dolos aduersarij, saluator noster ita su-
perauit, vt de ipso verè illud dictum sit.

*Super aspidem & basiliscum ambulabis; & Psal. 90.
conculcabis leonem & draconem.*



In omni vita nostra maximam sanè curam in eo ponere de-
bemus, vt ad dimicandum aduersus mundi rectores tene-
brarum harum, contra spiritualia nequitiz, parati semper &
instructi simus. Profectus enim noster, vt ait Augustinus. per
tentationem nostram fit: nec sibi quisquam innotescit, nisi
tentatus, nec potest coronari nisi vicerit, nec potest vincere
nisi certauerit; nec potest certare, nisi inimicum & tentatio-
nes habuerit. Graue cum primis inimicum & aduersarium
habemus Diabolum, cum quo tanto difficilius & periculosi-
us pugna committitur, quanto magis oculorum nostrorum

Ephes. 7.
in Ps. 60.

Pfal. 10.
Pfal. 63.
Tren. 3.

effugit obtutum, Sagittat ille in obscuro rectos corde: sagittat in occultis immaculatum: tendit arcum suum & ponit quemlibet quasi signum ad sagittam, vt ex occulto & insidijs vel concupiscentia carnis, vel concupiscentia oculorum vel superbia vitæ homines vulneret: cuius nequitia suæ libidinem, in ipso quoq; seruatore nostio explere minime veritus est, cum ad tentandum illum incredibili audacia se armarat. A quo quoniam se tentari seruator permittit, causa nostri factum id fuisse persuasum nobis sit, vt quod longius à Christi Domini perfectione nos abesse scimus; hoc pluribus tentationum periculis nos obiectos intelligamus; & ad resistendum impijs Sathanæ persuasionibus nos præparemus. Ac suggerere quidem ille nobis, vt ab officio recedamus, potest; cogere nos non potest. Non impellit, non tangit, illud tantum dicit. Mitte te deorsum. Quamobrem qui Diaboli dictis se præbet audientem, ipse se quodammodo deponit, & mentem ex iustitiæ sede statuq; dimouens deorsum in vitiorum foueam mittit. Quoties igitur nequam spiritus nos adoriri, suaq; tela, in quibus vasa mortis parat, conijcere in nos voluerit, optimum imperatorem, illum Iosua imitati, clypeum qui in manu nostra est, ex aduerso eleuemus: Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se. Clypeus igitur hic, sermo nimirum Dei ignitus, Lex est Euangelica. in qua diebus istis loquitur nobis Deus in filio: quæ cum imperet iusta prohibeatq; contraria, scutum inexpugnabile æquitatis rectè vocari potest. Hoc scuto vt contra Diabolicas machinationes vteremur, Dominus IESVS nobis auctor fuit: qui non dissimilibus armis è veteri lege depromptis, inimicum se tentantem profligauit. Diligenter nobis ante oculos legem mandataq; Diuina tunc temporis ponere debemus, quoties ad committendum aliquod facinus aduersarius nos incitat, quod charitati Dei vel proximi, in qua lex & Prophetæ pendent, sit contrarium. Consideremus quæ & quam graua Christus Dñs vt nos à peccati iugo liberaret perpeffus sit. Turpe & indignum esse ducamus, cum non a

mare præceptisq; illius non parere, qui solo nostri generis amore impulsus, acerbam crucis mortem oppetere non dubitauit; ei vero per peccatum se tradere, qui non alia re magis delectatur, quam sempiterno hominum interitu. Hunc cum turpibus carnalium voluptatum ille cæbris fugiamus illum autem qui salutis æternæ auctor est; amemus: præceptaq; illius seruemus. Abscondamus in cordibus nostris dulcissima ipsius eloquia vt non peccemus ei. In lege eius die ac nocte meditemur. *LEGIS* enim illius *MVNIMINE TVTVS* erit quilibet. In ea quid fieri deceat, quid non, tanquam in communi vitæ speculo intuebitur: quibus bene consideratis, praua reijcere, optima quæq; sequi studebit. Et si autem potens admodum sit inimicus, non est tamen is, qui Diuino auxilio accedente, superari à nobis non possit. Viriliter agētes, & impijs eius persuasionibus resistentes, iactemus super Dñm curam nostram; vt quod propter communis naturæ fragilitatem nobis deest, suppleat ipse. Enutriet ipse nos, non dabit in æternum fluctuationem iusto. Proferamus & aliud seruitutis nostræ scutum orationem, & per incensum cordis contriti & humiliati, deprecationem ante faciem Domini allegemus. Imponet Dñus finem necessitati, ostendet quoniam eius famuli sumus; quos non patietur tentari supra id quod possunt; quin etiam faciet cum tentatione prouentum, vt possint sustinere. In eo eripiemur à tentatione, & in Deo nostro transgrediemur hunc murum, quo nos à charitate Dei separare noster hostis voluit.

Ergo tu Deus noster qui conteris bella ab initio; & Dñus est nomen tibi. vide quod non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates tenebrarum, imbecillitatem quoq; nostram vide; quam dū ipsimet consideramus, non possumus non timere, ne aduersarius noster Diabolus, qui tanquã leo rugiens circuit quærens quem deuoret, imparatos nos opprimat, Viribus igitur nostris non fidimus. In te spes omnes nostras positas habemus Vno te, si præsens nobis adueris, vicim; si nos de

serueris,

Psal. 118.

Psal. 64.

Scp. 18.

1. Cor 10.

Psal. 17.

Judith 9.

Ephes. 2.

Tob. 12.

Jud 9.

Prout 28.

3. Reg. 2.

serueris, heu miseri ab hoste superamur Quod ergo nos vni-
 genitus filius tuus Dñus noster Iesus Christus facere docuit,
 ensequimur. A te supplices petimus, ne nos pijsime
 Dñe inducas intentionem. Neq; verò id vt non tentemur
 oramus (nam vt Tobias qua acceprus erat tibi, necesse fuit vt
 tentatio probaret illum) sed vt ne in ipsam tentationem in-
 tremus, ne ab illa absorbeamur, ne illi succumbamus, hoc est
 quod vt ne permittas, à te supplices perimus. Hic ergo, Cle-
 mentissime Pater erige brachium tuum; allide virtutem ad-
 uersarij in virtute tua. Ne nos vir ille sagittarius in fugam
 vertat, in stipulã tu eius sagittas vel lapides fundæ conuer-
 te. Arcus hic fortium per te superetur; infirmi autem accin-
 gantur robore, vt cum domus cordis nostri in sanctificatione
 cui permanserit, omnes agnoscant, quia tu es Deus, & non
 est alius præter te.

LEPROSI SAMARITANI MUNDATIO.



Hoc gratia suadet.

Ilustre cum primis animi grati exemplum nobis in Samaritano illo proponitur: qui solus ex decem leprosis à Christo mundatis, reuersus auctori tanti beneficij Deo, meritas debitasq; egit gratias. Nec enim, licet canis fuerit, murus esse voluit, sed illud vel maximè curauit, vt latratu suo insignem eius facti memoriam ad vniuersam posteritatem propagaret. Samaritanus autem hic, vt potè alienigena typus fuit Ecclesie ex gentibus congregandæ, quæ à lepra infidelitatis, hyssopo fidei petreæ Christo adhærentis, mundari debebat; vt à sordibus eiusmodi mundata, illud Psalmi posset usurpare.

Luc. 17.

Asperges me Domine hyssopo, & mundabor, lauabis me & super niuem dealbabor.

Psal. 50.



Quod in Ecclesiastici libro scriptum legimus; Da altissimo, secundum datum eius, & in bono oculo, ad inuentionem facito manuum tuarum: id ad excitandam erga Deum grati animi nostri memotiam valere plurimum debet. Licet enim secundum datum eius nemo possit altissimo dare, cum maiora nobis ab illo tributa, & data sint beneficia, quam vt

Eccle. 35.

Theß. 5.

*Sup. Matt.
Hoin. 25.*

*Bein. de
Cont. Nñ.*

*Psal. 133.
Eccle. 35.*

Psal. 45.

Matth. 5.

refundendis his homo mortalis par esse possit; si tamen aliquis in bono oculo, simplici nimirum rectaq; intentione, bona operando in omnibus Deo gratias agendo, benefacta ipsius extollendo, ad inuentionem manuum suarum faciat, is profecto ab ingrati animi crimine quàm longissime abesse censendus est: Facit insuper vt amplioribus, etiam muneribus à Deo cumuletur. Optima siquidem beneficiorum custos, est ipsa memoria beneficiorum, & perpetua confessio gratiarum; vt ait Chrysostomus. Danda nobis igitur est opera (cùm ingratitude sit ventus vrës siccans fontes pietatis, & fluentia gratiæ) si quascunq; Dei dotes augeri in nobis desideramus, vt ad collata Diuinitus beneficia, oculorum nostrorum aciem diligenter intendamus, & viuam illorum memoriam quasi coram eadem intuentes, apud nos retineamus. Versetur semper ante oculos mētis nostræ, nunquã satis prædicanda Dei misericordia & benignitas, qua nos, cum non essemus, ad imaginem & similitudinem suam creauit, creatos, cum in durissima Diaboli essemus seruitute, crucis & mortis suæ pretio, redemit, redemptos autem, cœlestis gloriæ participes, amicos & filios suos nos. effecit. Magna sunt hæc, & admirationis ac stuporis plena: quæ diligentius nobiscum perpendentes, ne nos obliuionis nox. & ingratitude vitium incautos opprimat, vigilare & manus nostras, in sancta extollere debemus, Deo scilicet bono animo gloriam reddendo, & sanctum nomen ipsius laudando & prædicando. Proponat vnusquisq; sibi, & semper illud meditetur; **VIDE NS** ego magna hæc, quæ fecit mihi Dñs, qui potens est, non aliud apud me reperio, quo gratum animū meum benefactori huic meo testari possim præterquam hoc. **LAUDABO** Dominum in vita mea. Benedicam illum in omni tempore, idq; non magis lingua, & corde puro, quam factis laudabilibus adimplere pro virile conabor: vt videntes ea homines glorificent te Patrem nostrum qui in cœlis es. Atq; hoc est in sancta manus elatas habere: omnes vitæ præsentis actiones, cœlesti sanctaq; conuersatione metiri, exemplo bono cœte-

ris, p̄ire illosq; ad laudandum & glorificandum Deum omnibus modis incitare. Hoc vnum gratos & memores nos esse Diuinorum beneficiorum, testabitur; si in eam curam maximè incubuerimus vt quàm plurimos Deo per nostram rectè pieq; viuendi rationem, lucrifaciamus. Nec enim in vacuum Dei gratiam accipere debemus. Elaborandum est, vt non sine sc̄nore, quod nobis talentum concreditur, illud restituamus. Quam ad rem non min9 exactoris ipsius rigor, quam gratitudinis quoq; nostræ ratio, nobis esse potest incitamento. Scopus actionum in hoc mundo nostrarum, sit animus collatorum beneficiorum memor & gratus: quem si attingerimus, non minor nobis laus, quàm Samaritano illi debetur, qui laudari voce seruatoris Christi meruit. Eius exemplum tanto magis imitari nos decebit, quanto peccati lepra, à qua per sacerdotes Christi iubentes virtute mundamur, grauior & perniciosior est illa, quæ exterius in corpore tantum apparet: quam vt effugere possimus, Dei primum misericordia inuocanda, deinde verò nostra quoq;, quantam maximam possumus, diligentia est adhibenda.

Quoniam verò Sacramentum Regis abscondere bonum est, opera autem Dei reuelare & confiteri honorificum est, tuam Deus, in genus humanū benignitatem, creationis, redemptionis & sanctificationis beneficia, prædicare quidem pro magnitudine rerum, satis digne non possumus; illud tamen palam confitemur, Tu es Deus, qui facis mirabilia magna solus, Benedictum sit nomen maiestatis tuæ in æternum: repleatur maiestate tua omnis terra. Sed quomodo heu, miseri te laudabimus, quomodo pro collatis in nos beneficijs gratias agemus, cum peccati lepra simus infecti, quales tu exaudire non vis, quibus væ sempiternum denuntiatur Non habemus, Dñe, non habemus quò nos vertam9 Cū leprosis igitur illis, stantib; à longe per peccati deformitatē à te elongati, & tamē ante te humiliari, voces nr̄as ad te leuam9, illud solum clamantes. Jesu præceptor miserere nostri. Laua nos

Tob. 12.

Psal. 135
Psal. 17

Ioan. 9.

4. Exo. 15

*Pfal. 50
Leu ii. 13.*

ab iniquitate nostra, & à peccato nostro munda nos. Munda nos à lepra hac volatili, vt ne deinceps à vitio in vitium prolabamur, sed per humilitatis spiritum, orationis assiduitatem confessionis peccatorum frequentiam, ab inhzrentis morbi turpitudine recreati, te semper laudemus, & cum Samaritano illo ante pedes tuos procidentem, tibi debitas gratias referre valeamus.

DÆMONVM IN PORCOS EXPVLSIO.



Quo ducit quemq; voluptas.

*Luc. 9.
Comment.
in Luc. 1. 6*

V Ir ille ab immundis spiritibus vexatus, populi gentilis, vt Ambrosius testatur, typum gerebat: qui nudus (ad omnes videlicet vitiorum & idololatriæ errores obiectus) multis temporibus: à diluuiò vsq; ad aduentum Dñi, furore dementi corripiebatur. Adueniente autem Christo cū legio illa dæmonum, nec cœlestis illius luminis claritatem sustinere, nec bonos etiam ad eó facile deprauare posset, in porcos

se mitti

se mitti petit, scilicet in eos, qui more belluarum, voce rationeque carentium, lutulentis vitæ suæ actibus, naturalium coinquinât ornamenta virtutum: qui tanquam de superioribus ad inferiora per improbitatis declivie protrusi, inter validos huius mundi fluctus, suffocantur. Videmus igitur, quia homo ipse, sibi auctor est ærumnæ. Nam nisi quis porci more vixisset, nunquam accepisset in eum Diabolus potestatem, aut si accepisset; non ut perderet, sed probaret. Zacharias venturi Christi virtutem cum videret, prophetico spiritu prædixit inquires.

Et erit in die illa dicit Dñs exercituum, Zach. 13. disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur ultra; & Prophetas & spiritum immundum auferam de terra.



Cum spiritibus immundis à Christo potestatem in porcos immigrandi concessam audivimus; non methoeriter

Matth: 7.
Rom. 9.
I. Tim. 2.

terreri. & ad vitæ mellioris amorem tanti periculi denuncia-
tione incitari debemus. Hinc enim apparet homines eos,
qui porcorum more in turpi mundanarum voluptatum luto
volutantur; Diaboli esse domicilia; quorū non alius finis est,
quam sempiternus interitus, quandoquidem in mare illud,
in cuius profundū omnia peccata proijciuntur, miserè præ-
cipitantur: vt vasa iræ in interitum apta, & in contumeliam
parata dici meritò possint; cum nulla maior corā Angelis Dei
ad quempiam calamitas & ignominia possit peruenire, quā
si quis eius se factum habitaculum videat, qui totius turpi-
tudinis & dedecoris auctor atq; architectus est. Neq; enim
Sathanas alibi libentius commoratur, quā ibi vbi officinā
nequitiz, & peropportunum libidinum suarum diuersoriū
se nactum videt. Quo maior cautio nobis est adhibenda, vt ne
locum huic apud nos esse velimus, à quo non solum summa
contumelia, sed perpetuum quoq; animæ exitium ad nos
promanat. Acri cum primis nobis hic iudicio vtendum est, &
diligenter examinandum, num sancti spiritus, an verò Sartha-
næ receptacula; vtrum vel in honorem vel in contumeliam
vasa præperata simus. Intueatur vnusquisq; se metipsum, in
quam partem potius propendeat virtutis an voluptatum
rationem maiorem ducat, angustamne vitæ semitam, an la-
tum mortis iter sequatur. Conscientia id cuiusq; dictabit.
Se ipsum enim vnusquisq; & animum suum seuerum iudicē
sui vltorem sceleis & vindicem criminis habet ait Ambrosi-
us. Ergo qui nec rationem deceptam, dum ab vnitrate fidei
non recedit, nec voluntatem peruersam, dum Diuinis præ-
ceptis non repugnat nec memoriam ingratitude virio in-
quinatam habet, bonum is se Deo habitaculum parasse nouerit.
Vas est in *IN HONOREM* sanctificatum & vile Domino,
ad omne opus bonum paratum. Inhabitat in eo gratia &
virtus spiritus sancti, cuius alarum velamento protegetur
vt non confundatur in tempore malo. Porro ne quis nimia
confidentia laboreat, nouerit se thesaurum istum in vasis fi-
ctilibus habere, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex no-

In Epi. ad
Constant.

Psal. 60.
Psal. 36.

2. Cor. 4.

his. **Q**uamobrem sedulo prouideat, ne vas istud constringatur Diligenter omnes peccatorum occasiones vitet, quorum nidore purissima hæc columba, quæ simplicitate mansuetudinis humanas mentes afflat, facile propulsatur. Sciat vnusquisq; vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderij sicut & gentes quæ ignorant Deum. Admissa semper peccata desinat, vt à futuris abstineat; præsentia sancti spiritus commoda, pulchritudinemq; cogitet, vt & Diaboli tentationes faciliùs eludat, & in summi istius boni possessione permaneat: qua si priuatur, desideria negligentiaq; sua factum hoc imputare debet, cum dona sua Deus nemini, nisi nolenti & ingrato, subtrahere solet.

Ego verò summè Deus, me vas illud omni bono vacuum, innumeris autem peccatorum sordibus ita refertum esse agnosco, vt cum spiritum sapientia, more fatui illius tenere nequeam, ad contumeliam, potius quam ad honorem destinatus videar: Sed quoniam & omnipotens es, & miseris te inuocantibus non potes non misereri, te suppliciter peto, vt me vilem & abiectam creaturam tuam; non vas itæ, quam infelix ego homo læpissime prouocauit, sed vas in quo immensam potius misericordiam tuam ostendas, me velis esse. Non est apud te impossibile omne verbū. Vas igitur cordis mei sic immuta, vt ex illo carnalis desiderij fomite propulsato, spiritus sancti templum efficiatur. Fateor Dñe me tali tantoq; hospitio dignum non esse; sed præparet ille, potens est enim, mansionem in me sibi: vitia extirpet, virtutes augeat, humilitate ornet, charitate illustret. Utinam vas illud, in quo mænna Aaron recondidit, ego efficiar; vt mentis corporisq; mei tabernaculum ita purum sit in quo cælestium virtutum omnium thesaurus seruari possit. Ne patiaris Clementissime Deus, me Sathanæ immundi receptaculum fieri, sed à te creatum, pretioso filij tui sanguine ablutum, radio Sancti Spiritus illustra, vt non nisi quæ tibi placita sunt, cogitem, loquar & ad sanctissimi tui nominis gloriam, omnes vitæ meæ actiones semper dirigere festinem:

1. Thes. 4.

Eccli. 21.

Exod. 16.

PANIS MULTIPLICATIO.



Sufficient lenire famem.

*Ioan. 6.
In Ioann.
Tract. 24.*

Historiam Evangelicam de quinque panibus hordeaceis, quibus hominum quinque millia sunt à Christo satiata explicans Augustinus; per quinque panes illos, quinque Moyse libros intelligi posse scribit, qui cum literam veteris testamenti carnalium sacramentorum tegumentis vestitam continent; hordeo (cuius medulla, palca quasi velis quibusdam obtenditur) assimilantur Puer autem ille populus erat Israel, qui sensu puerili scripturas ferens illas non manducabat. Posteaquam verò Christus venit & Sacerdotis & Regis personam per duos pisces hinc expressam, in se portans, panes illos frangi iussit, qui frangendo multiplicati sunt; quandoquidem quinque libri Moyse, dum post Christi aduentum scisso iam velo, exponuntur, quasi frangendo in multos iam libros, excreuerunt. Porro numerus pastus populi, pabulum sub lege, quæ Mosaycis quinque libris explicatur, constitutum significabat: qui quod super lænum discubuit, cum omnis caro sænum dicatur, in carnalibus tantum quieuisse intelligendus est. Superfuerunt itaq; fragmenta, secretiora videlicet scientiæ, quæ multitudo ille capere nõ potuit, quibus colligendis Apostoli primum, deinde Episcopi & Sacer

Esa. 40.

mira-

dotes sunt delignati: vnde 12 Cophini sunt impleti. Umbra miraculi in Eliseo præcessit, qui viginti panibus hordaceis, viros 100. satiaturus, quendam alloquitur.

Da populo vt comedat, Hæc n. dicit Dñs. Comedent & supererit. Posuit itaq; coram eis, qui comederunt & superfuit iuxta verbum Domini.

4. Reg. 4.



PAbulum quo nos per sacerdotes suos Christus Dñs in hac peregrinatione militiæ nostræ mirabiliter refecit, doctrina est spiritualis & verbum Dei: quæ quidem refectio cum vt scribit Ambrosius, saginet animam & impinguet viscera, cibus animæ aptè congruenterq; dicitur. Nec enim in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Domini. Quanto igitur corpori anima dignitate præstat, tantò maiorem nos adhibere curam conuenit. vt ne suus cibus, sine quo viuere non potest, animæ subtrahatur. Assuescant aures assiduitate quotidiana diuinis eloquijs audiendis: quodq; verbum ex ore sacerdotis exire audierint, id ad cordis interiora ita transmittant, vt homo Christianus in omni virtutum genere semper proficiat. Eo si quidem animo ad au

In Serm.
de Quadr.

Deut. 8.

diendum verbum Dei veniendum nobis est, vt quilibet quasi delapsam de cælo regulam habere possit, ad quam totius vitæ suæ actiones dirigat: quam ad rem mentem primum ab omnibus mundi curis vacuum, deinde verò ita præparatam afferre debet, vt quidquid audiuerit, id ad se diuinitus delatum nouerit, ad quod agendum non illico inflammari nefarium scelus arbitretur. Habet enim eam vim Dei verbum vt non solum mentis humanæ tenebras, abdita detegendo, illuminet; sed etiam charitatis desiderium inspirando, corda adurat inflammetq; vt scintillæ quæ cum silicis & ferri attritu fuerit excussa, ignem producere solet, comparari non ineptè possit. Et libri quidem sacræ scripturæ, lapides sunt Syon, qui placent seruis Dei; ferrum autem fortis est & patiens legis Diuinæ Doctör, qui interiores & reconditos scripturæ sanctæ sensus scrutatur & excutit. Ex his igitur, velut è ferro & silice scintilla, elicitur doctrina spiritualis: sermo videlicet scintillæ, ad commouendum cor nostrum, vt amore Dei ac proximi sensim flagrare incipiat, quemadmodum ab vna scintilla ignis augeri consuevit. Maxima sanè in sacris literis vbiq; sunt recondita mysteria, quæ intellecta non minus ad rectè credendum quàm ad pie viuendum conducunt, vt non absque causa seruator ipse nos admonitos voluerit.

SCRVTAMINI, inquit scripturas: illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Si litteram spectes, dura tibi silex scriptura videbitur: at vbi, Dei spiritu adiutus, excutere scutariq; diligentius singula cœperis; mirabilem quandam vim in ea latere reperies, quæ delectationis habeat multum, & admirabili suauitate animum delinuat. Cauendum tamè est, ne in scripturis interpretandis suo aliquis ster iudicio, cum primis enim id periculosum esse, tot Hæretes nostro sæculo, ab inferis reuocatæ, documento sunt: quarum qui fuerunt auctores, id sibi tribuere & arrogare veriti non sunt vt se solos intelligere & sapere plusquam Ecclesiam vniuersam arbitrarentur; In qua mentis eorum elatione posteaquã pertinacia innata fuisset, ad id deuenerunt, vt dicentes se esse sapi-

Psal. 101
Ierem. 1.

Ecll. 11.

Ioan. 5.

Rom. 1.

entes stulti facti sint. Alloquens Dñum Propheta David; Declaratio, inquit, sermonum tuorum illuminat, & intellectu dat paruulis. Paruulos tantum humiles, & mansuetos sermonum Diuinorum declaratione illuminari, illisq; dari intellectum dicit, non autē his, qui vanis opinionibus inflati cū sint, præ se alios pro nihilo ducunt, illosq; stupidos, truncos, & bardos iudicant. Summa igitur homini Christiano cautio hīc est adhibenda, vt quam viam cum primis lubricam videt; illa, bene in charitate firmatus, progrediatur; quam si haberent Hæretici, nec ad sua desideria coaceruarent sibi magistros prurientes auribus, nec in scripturis interpretandis vniuerso orbe prudentiores videri vellent; sed eam viam salutis esse ducerent rectissimam quam sancti maiores nostri tritam reliquissent. qui memores illius quod à Propheta scriptum est, Labia sacerdotis custodient scientiam & legem requirunt ex ore eius. non penes omnes, sed penes eos tantum quorum id munus est proprium, de sacra scriptura iudicandi potestatem esse voluerunt. Apostoli, in quorum locum sacerdotes successerunt; panem hunc discumbentibus distribuere, scripturas scrutari, ignem ad hominum mentes Dei charitate inflammādas, ex illis excutere debent. Angeli etenim Dñi exercituum sunt; quorum ministerio militantis Ecclesiæ turmas, ne in hac peregrinatione deficiant, alit, confortat, reficit. Reliqui autem non solum aures, ad ea quæ à sacerdotibus nuntiantur percipiēda erigere; sed & animum, ad illa quæ lex diuina præcipit, faciēda, debet erigere; Deumq; sedulo precari vt quæ sunt in cordibus eorū per fideles verbi Dei præcones, plantata rigataq; his ipsemet incrementum dare velit.

*Psal. 118.**2. Tim. 4.**Malach. 2.*

Ergo tu Dñe, qui cū sis Creator omnium, creata benignè conseruas, languida clementer foues, tenebrosa suaviter illuminas, mortua potenter ad vitam reuocas, suscita quoq; spiritum amoris tui, dum in nobis deficit; accendit, dum, ex tinguitur; erige dū cor uir. Ciba nos pane dulcissimo

verbi tui omne delectamentum in se habente; vt animæ nostræ confortentur; ad currendam viam mandatorum tuorum corroborentur. Da nobis intellectum, vt in vera humilitate fundati, in charitate radicati, scrutemur legem tuam, & custodiamus illam in toto corde nostro. Tribue Clementissime Deus, ne à maligno spiritu in fraudem deducti, nostrum sensum, qui sæpissimè fallitur, Ecclesiæ tuæ sanctæ, quæ cum columna sit veritatis, falli non potest nec fallere, sensui & consensui anteponamus; sed vt eos potius qui in Cathedra vnitatis constituti, doctrinam veritatis nobis tradunt, corde humili audiamus, audientes autem discamus & timeamus te Dñm Deum nostrum, omnesq; sermones legis tuæ sanctæ custodire, & opere implere pro virili nostra contendamus:

Deut. 31.

MAGDALENÆ POENITENTIA.



Iuuat vsq; morari.

Luc. 7.

Per mulierem peccatricem ad Christum accedentē, quæuis anima, quibuscunq; tandem vitijis cooperta, potest intelligi; quæ anteactæ vitæ sordes eluere desiderās, ad Christi misericordiam confugit, ac per lachrymas, peccatorū videlicet confessionem, cum Dño in gratiam redire cupit; de quibus lachrymis loquens Ambrosius; Bonæ inquit lachrymæ,

Lib. 6. com
in Luc'

quæ

quæ non solum nostrum possunt lauare delictum; sed etiam verbi cœlestis rigare vestigium, vt gressus in nobis eius exuberent. Bonæ lachrymæ, in quibus non solum redemptio peccatorum, sed etiam refectio est iustorum. Porro vnguentum, quo pedes Dñi vnguntur, ait Augustinus, iustitia fuit, ideo libra fuit. Erat autem vnguētum nardi pistici pretiosi. Quod ait pistici, locum aliquem credere debemus, vnde hoc erat vnguentum preciosum, nec tamen hoc vacat, & Sacramento optimè consonat πῖσις Græcè fides dicitur. Quærebas operari iustitiam, iustus ex fide viuunt; vnge pedes IESV, benè viuendo, Dñica sectare vestigia Capillis terge: si habes superflua da pauperibus, & Dñi pedes terfisti. Capilli enim superflua corporis vidētur. Habes quod agas de superfluis tuis. Tibi superflua sunt, sed Domini pedibus necessaria sunt. Forte in terra Domini pedes indigent; de quibus enim nisi de mèbris suis in fine dicturus est? Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Superflua vestra impendistis, sed pedibus meis obsequi estis. Domus autem impleta est odore mundus impletus est fama bona. Nam odor bonus fama bona est. Rectè itaq; illud sibi Maria potest vsurpare, quod in Canticis scriptum legimus;

Aug. in Io-
an. Tra. 12

Abac. 2.
Rom. 1.

*Dum esset Rex in accubitu suo; nardus mea
dedit odorem suum.*



PHœnicis eam esse naturam pleriq; tradiderunt, vt postea-
 quam se diuturnitate ætatis, quasi sensim exringui ani-
 maduerterit: in rogam è lignis odorem spirantibus con-
 gestum, qui vento calido flante accenditur, ipsemet ascendat,
 atq; ita combustus in cineres redigatur: è quibus toto triduo
 vermiculus quidam enasci, paulatim plumis obduci, & in a-
 uem eiusdem generis transformari dicitur. Phœnix igitur
 hïc symbolum pœnitentiæ quoddã esse videtur. Homo nan-
 que ille qui ab innocentia paruulorum recedendo, diesq; su-
 os in bonis, quæ cito transeunt, ducendo ad eam peccati ma-
 turitatem deuenit, vt consensisse in turpitudine quoddã mo-
 do videri possit, si seriam procurandæ suæ salutis cogitatio-
 nem suscipere vult, providere debet, vt si amore illo qui fili-
 orum est, ad diligendum Deum, honestatemq; sectandã non
 mouetur, saltem timore periculorum aliquo ad id faciendã
 inducatur. Quamobrem ex assidua tum iustitiæ Diuinæ con-
 templatione, tum mortis suppliciorumq; æternorum medi-
 tatione (quarum rerum odor mentes propius afflare solet)
 veluti nidum quendam, in quo mens ipsius, dum tentationi-
 bus oppugnatur, conquiescat, sibi præparet. Ita enim futuru
 est, vt spiritus sancti flatu superueniente, virtutem accipiat,
 qua adiutus, licet à timore cœperit, in ardenti amore desi-
 derium suæ in Deum charitatis terminare possit. In timore
 itaq; & amore Dei fundatus; compunctioe feruenti, iustoq;
 pro peccatis dolore concepto, adustus, in humilitatis cinerẽ
 redigetur. ex qua quidem humilitate (posteaquam triduum
 illud pœnitentiæ, in deuota cordis contritione, pura oris
 confessione, debitaq; operis satisfactione fuerit transactum)
 nascetur vermiculus ille cor scilicet mundum & spiritus re-
 ctus qui virtutum omnium ornamentis, quasi pennis qui-
 busdam decoratus, in volucrem, virum scilicet perfectum &
 ad cœlestia semper euolantem transformabitur: vt veteri ho-
 mine cum vitijs & concupiscentijs suis deposito, nouum in-
 ducat, omnemq; vitæ suæ rationem ad honestatis & virtu-
 tum amorem reuocet. Atq; huc quidem paulus apostolus re-

(pexisse videtur, cum Ephesios moneret inquiring; **RENOVA-MINI** spiritu mentis vestræ & induite nouum hominem qui secundum Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis. Nihil hac renouatione spiritus mentis nostræ vtilius, nihil ad immortalitatis gloriam consequendam magis est necessarium. Hoc enim illud vnum est, quod eligere cum Maria debemus, vt omnibus curis sæcularibus postpositis, secus pedes Domini sedeamus, & lachrymas ad abluenda peccata nostra fundere ne intermitramus. Digna pœnitentia facienda tenebrarum autem abijcienda sunt opera, vt induamur arma lucis, quibus muniti aduersarij possimus impetus retardare. Dolor, genitus, lachrymæ, corporis afflictio propriæ cupiditatis ablegatio præcedat opus est; si lætari exultare Christoq; conregnare volumus. Veniat nobis in mentem illius mulieris peccatricis, quæ humilitatis via, lachrymis, suiq; abrenunciatione, illud quod maximè desiderabat, est affecuta vt illam vocem solatij plenam mereretur audire, Remittuntur tibi peccata. Phœnicem iam vides Mariam quæ vetustate peccati exuta, renouata est ad vitam; quodq; de illa canit Ecclesia, In vas translata gloriæ, de vase contumeliæ: O quàm beata est illa, cuius remissæ sunt iniquitates, & tecta sunt peccata? Quàm beata, cui non imputauit Dñs peccatum nec est in spiritu eius dolus? Hanc igitur quam tantum pœnitentiæ fructum videmus reportasse, sequamur & nos. Seminemus in lachrymis, vt in exultatione metamus. Seminemus in spiritu, vt de spiritu quoq; metamus vitam æternam. Deum peccatis nostris nos offendisse doleamus; In tribunal mentis tuæ ascende contra te, inquit Augustinus, & reum te constitue ante te. Noli te ponere post te, ne DEVS te ponat ante te. Si nos semetiplos diudicabimus, non vtiq; iudicabimur. Ergo dum te ipse habemus operemur bonum & illud sedulo prouidamus, vt malefactorum nostrorum: ut pœnas hic à nobis ipsi exigamus. Futurum enim est quicumq; id fecerit, vt, sicut quodam loco scriptum idē Augu-

Ephes 4.

Luc. 10.

Actor. 26.

Rom. 13.

Psal. 31.

Psal. 125.

Galat 6.

In lib. de
vtil. agen.
pœn.

1. Cor 11.

nus reliquit Iustitia de cælo prospiciens dicat; *Parcamus huic homini, quia ipse sibi non pepercit: agnoscamus: quia ipse agnoscit. Conuersus est ad puniendum peccatum suum, conuertar & ego ad liberandum eum.*

Dan. 2.

Domine qui mutas tempora & ætates, transfers regna & constituis, das sapientiam sapientibus, & scientiam intelligentibus disciplinam; oculis misericordiæ tuæ respice super nos, qui peccatis onusti, & dierum malorum inueterati, defecimus in ira tua, & in furore tuo turbati sumus: innoua dies nostros sicut à principio, vt vetustate peccati abiecta, in nouitate vitæ ambulemus. Pœnitens cor & imbrem lachrymarum nobis tribuè; vt peccata nostra deflentes, è principis tenebrarū potestate erepti, ad lumen regni tui perducamur.

Psal. 89.

Tren. 5.

Da sapientiam hanc nobis, vt videre possimus quomodo caute ambulemus non quasi insipientes, sed vt sapientes redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Infunde pectoribus nostris scientiam, vt in vanitate sensus nostri tenebris obscuratum habeamus intellectum alienati à vita Dei per ignorantiam; sed potiùs scientes & intelligentes voluntatem tuam, eam exequamur, peccata verò admissa profunditate luctus, & lachrymarum vi iugiter abluamus. Effice misericors Deus, vt pœnitentiam, quæ ligata soluit, densa referat, aduersa mitigat, contrita sanat, confusa lucidat, desperata animat,

Ephes. 5.

semper agentes; maiestati tuæ, mente pura, corpore casto, seruire perpetuò mereamur.


Ephes. 4.

Cypr. de laud. Pen.

semper agentes; maiestati tuæ, mente pura, corpore casto, seruire perpetuò mereamur.



TRANSFIGVRATIO.

*Novitate extrusa vetustas,*

IN Historia transfigurationis Dñi splendor ac maiestas immortalitatis, nobis ob oculos ponitur. Quod enim post dies sex, discipulos tres assumpsisse & in montē excelsū duxisse IESVS scibitur, post decursū sex ætatum mundi, altitudo cælestis & æternæ illius gloriæ nobis apparitura significatur: quam tamen ex tot vocatis, pauci tantum electi (paruo trium discipulorum numero hic expressi) consequentur. Candor vestimentorum Christi, qui niue dealbabuntur in Selmon, sanctos æternæ sælicitatis splendore vestiendos indicat. Per Moysen lex vetus, per Heliã Prophetarū oracula, à quibus duobus Christo Dño testimonium tribuitur possunt intelligi. Dum autem Petrus tria vult collocare ta-

*Matt. 17.**Psal. 67.*

de Chri
 Viß. Hō. 10
 sōn Mariū.

1. Cor. I 5.
 2. Cor. 5.

Isa. 58.

bernacula, IES Vvnum, Moyſi vnum, Helix vnum; legem ſcilicet, Prophetas, & Euangelium quæ non poſſunt ab inuicem ſeparari, ſeiuncturus; ecce nubes lucida, quaſi vno tabernaculo legem Prophetas & Euangelium (quæ niſi ſimul habitauerint concordiam habere non poſſunt) includēs, obumbravit eos. Nubes illa, gratia eſt ſpiritus ſancti, ſolem iuſtitiz Chriſtum circumdans. è quæ vox Patris erumpit. Hic ergo S. Trinitatis myſterium oſtenditur: in quam credentes ſaluamur; cuius gloriam, poſteaquam corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, reuelata facie ſpeculabimur, in eandem imaginē trãſformati à claritate in claritatem, tanquam à Dñi ſpiritu: vt quemadmodum nunc de Chriſto, ita tunc de quolibet, ſuo quodam modo illud Eſaiz meritò dici poſſit;

Tunc erumpet quaſi manẽ lumẽ tuũ & ſanctas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam iuſtitia tua, & gloria Domini colliget te.



Quod

Quod ab Augustino scriptum legimus : Tantam esse pulchritudinem iustitiæ, tantam iucunditatem lucis æternæ, ut etiam si non liceret in ea amplius manere quàm vni diei mora propter hoc solum innumerabiles anni huius vitæ pleni delitijs & circumfluentia bonorû, temporaliû rectè meritoq; contemnerentur: id longè verissimum esse quilibet iudicabit, qui Petri desiderium quo ut in monte Thabor cû Christo maneret vehementer æstuabat, paulo diligentius fuerit contemplatus. Nec enim absq; causa illud dixisse creditus est; Domine, bonum est nos hic esse : si uis faciamus hic tria tabernacula. Nimirum videbat in facie Christi resplendente tantam dulcedinem voluptatis, tantam in vestimentis ipsius albescentibus maiestatis sublimitatem. ut omnibus, quæ in vita solent esse iucundissima posthabitis, angustum in vnius montis parte tabernaculum, præ totius orbis machina sibi deligere fatiùs esse duceret, dummodo beatitudinis æternæ sælicitate, quam tunc primum degustare cœperat, frueretur. Exprimitur itaq; nobis, in Petro, iustorum desiderium, qui de bona conscientia securi dissolui & esse cum Christo cupientes, cœlestis gaudij pulchritudinem ob oculos ponere consueverunt; qua quidem re id assequuntur, ut & à vitijs recedant, & si quas hic difficultates molestiasq; perferunt, eas summi boni illius recordatione patienter moderatèq; ferre discant. cùm non ignorent brauium non nisi currentibus, coronam autem ijs qui legitimè certât, esse præparatam. Quæ autem sit illa, cuius potiundæ spe ducimur omnes pulchrè D. Bernardus explicat. Duodecim ea stellarum est; quarum prima Memoria dicitur sine obliuione; Secunda, Ratio sine errore; Tertia, Voluntas sine omni perturbatione; quarta, Impassibilitas in qua corpus nostrum surget sine corruptione; quinta Claritas qua cõfigurabitur claritati corporis Christi, Sexta Agilitas, ut secundum mobilitatè cogitationû nostrarû sit agile, Septima, subtilitas, ut quantumlibet spissum vel solidum possit penetrare. Octaua diligere proximum suum in omni veritate tanquã seipsum;

*Li. de mor.
rib.*

Matth. 17

*Bernar. in
quodã scr.*

Apoc. 12.

Isai. 26.

I. Cor. 9.

I. Cor. 2.

I. Pet. 5.

Psal. 41.

I. Cor. 12

Nona est videre proximum suum in puritate diligentem se, sicut diligit semetipsum. Decima est, Deum perfecte diligere, sed plusquam seipsum. Undecima diligere seipsum tantummodo propter Deum. Duodecima est Videre Deum diligentem se supra quam diligit seipsum. Hæc est illa gloriæ Corona in manu Dñi, & diadema regni in manu Dei nostri; qua Syon cælestemq; illam Hierusalem, animam videlicet fidelem ad immortale gaudium, vocaram, decoraturus est. cuius, quò maiorem excellentiam præstantiamq; videmus hoc vehementiori desiderio teneri, & ad consequendam illam concitatori cursu ferri debemus. Hoc enim est, quod vas electionis Paulus nos admonet, inquit, sic currite **VT COMPREHENDATIS**. Curramus & in omni virtutum genere, proficiamus, oportet; Si comprehendere volumus, quæ præparauit Deus ijs qui diligunt illum, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Non minus desiderium in sitiendo, quam velocitatem cerui in currendo debemus imitari, vt, cum apparuerit princeps pastorum percipiamus immarcescibilem gloriæ coronam. Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desideret anima nostra ad Deum. Siat anima nostra ad Deum. fontem viuum, fallacis mundi delectatione reiecta. Quid enim aliud mundus hic est, si cum cælesti gloria comparetur, quam summa siccitas, quæ celeriter omnia quæ tibi florere videntur, desiccet, arefacit, & in nihilum redigit? Quid aliud concupiscentia mundi, quam puteus sine aqua, refrigerium sine umbra, suauitas sine dulcedine? Ad Deum totius beatitudinis fontem, qui nunquam deficit, fessos reficit, languidos corroborat, euolandum nobis est Ibi mens nostra omnis cogitatioq; designanda est, vbi non caduca sed æterna, non fluxa sed firma sunt gaudia. Quamobrè cū vniciq; data sit manifestatio spiritus ad vtilitatem; ea bona sibi quisq; maxime comparare studeat, quæ, cum in ipsa virtute versentur, suo tempore, magno sibi commodo futura videt, Vbi thesaurus noster est, ibi & cor nostrum. In cælo thesaurus noster repositus est; in cælu

igitur

igitur aciem mentis nostræ semper intendamus, vt inter eos connumerari possimus; qui beati habitât in Domo tua Dñe, & in sæcula sæculorum laudant te.

Miser igitur ego homo, positus in hac lachrymarum valle, ad te Dñe Deus, ad eamq; deliciarum regionem suspiro, vbi certa est securitas, secura tranquillitas, tranquilla iucunditas, sc̄elix æternitas, æterna sc̄licitas: vbi amor perfectus, timor nullus, dies æternus, alacer morus, & vn̄ omnium spiritus. Concupiscit anima mea ire in tabernacula tua, deficit præ contemplatione tantæ sc̄licitatis. Sed dum Prophetam te interrogantem audio; Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Te verò respondentem, confidero; Qui ingreditur sine macula & operatur iustitiam; Heu terreor miser, totus conturbor. Iniquitates enim meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauata sunt super me Hoc onere pressus, ad mōtem sanctum tuum ascendere non valeo. Hac Sarcina grauatus, in altissimum illud gloriæ tabernaculum introire, non possum, Dñe non possum. Ecce coronam video, quæ datur pro cinere; oleum gaudij, quod datur pro luctu; pallium laudis, quod datur pro spiritu mœroris At ego non in pœnitentiæ cinere sed in delicijs mundi, non in luctu, sed in voluptatib9 non in spiritu mœroris, sed in elatione superbix, semper sum turpiter volutatus. Num hanc coronam, quæ cineri tantum, luctui, mœroriq; debetur, ego mihi polliceri audebo; qui pœnitentiam agere distuli, corpus istud non castigauit, in seruitutem non redegit? Si iustitiam tuam specto, perdidit coronam; si magnam misericordiam tuam cogito quod amitti inuenire spero Quod vt assequi tua benignitate possim, obsecro Domine aufer iniquitatem serui tui, quia insipienter egi. A peccato meo munda me. Gratiam hanc mihi clementer concede, vt ne adincrescant ignorantix meæ & multiplicentur delicta mea, & peccata mea abundant; sed doce me facere voluntatem tuam. Perfice pedes meos tanquã cœruorũ, vt viam mandatorum tuorum celeriter currendo, super ex-

Psal. 83.

Prosper d:
vita cont.

Psal. 14.

Psal. 37.

Isaie. 61.

I. Par. 31

Psal 50.

Eccle. 23.

Psal 17.

^celſa tua ſtatui, & torrente voluptatis tuæ portari, merear.

PARVVLORVM PRÆSTANTIA.



Vita monstrata via.

Ostenſurus Dñus modum & rationem, ad propositum æternæ gloriæ finem perueniendi, paruulum in medio discipulorum ſtatuit, inquiens; Niſi conuerſi fueritis & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum, Quem Euangelij locum explicans Hieronymus; Non præcipitur inquit, Apoſtoliſ, vt ætatem habeant paruulorum, ſed vt innocentiam: & quod illi per annos poſſident, ſi poſſideant per induſtriam, vt malitia non ſapientia paruuli ſint. Ac ſi dicat; ſicut ille paruulus (cuius vobis exemplum tribuo) non perſeuerat in iracundia, non læſus meminit, non vidēs pulchram mulierem delectatur, non aliud cogitat & aliud loquitur. ſic & vos niſi talem habueritis innocentiam & animi puritatem, non poteritis in regna cælorum intrare.

Matth; 18

in caput

Matth. 18

Porro, si quæ virtus alia, nobis humilitas in paruulis maximè commendatur: quam cum cæterarum virtutum fundamentum esse dicat Bernardus, curæ nobis esse debet, vt actionum nostrarum omnium radices, in ea potissimum defigantur. Gradus & ascensus est ad celsitatem, humilitas: quæ qui assequitur, is demum paruulus confendus est; is cœleste regnū sibi promissum nouerit, iuxta illud quod in Prouerb. libro legimus;

Humilem spiritum suscipiet gloria.

De Confir-
rat. lib. 5.

Proue. 29.



SI quando Apostolos antequam spiritus sancti donum accepissent, humanum quid passos legimus, vt dum quis eorum esset maior in regno cœlorū, secū contendere scribūtur, instruendi nostri causā Chrūm Dūm id permisisse debemus existimare. Paruuli enim, cuius exēplo ad humilitatē discipulos incitaret, in medio eorum statuendi occasionem maiorem habuit. posteaquā de præcellētia illos cogitare ani-

Matt. 17.
Mar. 9.

mauertit.

mauertit. Quemadmodum itaq; è paruulo illo humilitatē, ita ex hac quadam Apostolorum inter se concertatione, humanarum rerum contemptum discere debemus. Neq; enim illis de honore, gloria vel vana istius sæculi pompa sermo fuit, sed licet adhuc in corpore isto mortali constituti essent, cœlestium tantū rerū contemplatione occupabatur aquilas cæca in re imitati; quæ vbi corpus esse sciunt, eó libenter cōuolare feruntur. Ostensa iam illis fuit maxima, & certa spes, tanquam fortissimis militibus, amplissimorum in cœlis præmiorum: ibi ergo animo cogitationeq; conuertebantur, vbi perfectum gaudium, fœlicitatem æternam, quietem sempiternam esse videbant: qua ex re mirabilis humanarum rerū contemptio, cupiditatumq; prauarum despicientia in illis nascebatur. Ex illis itaq;, quos veluti Duces quosdam agnoscimus, factorum nostrorum exempla petere debemus, vt & ipsi non temporaria sed æterna, non falsa sed vera gaudia sequamur. Abducendus est animus à præsentium voluptatum blanditijs à quibus quo remotior fit, hoc ad virtutem ipsam ad Deum, & ad supera cœlestiaq; propius accedit. Eam esse naturam aquilæ tradūt, vt pullos suos in nido perpetuò delitescere ferre non possit; sed ad volandum eos prouocet, nolentes autem rostro feriat, cibum illis neget, atq; ita nido compellat euolare; quó altiùs eleuati, solis pulchritudinem faciliùs iutueri possint. Idem & nos facere decet. Omnis est adhibenda opera; vt ne semper in carnalium desideriorum nido (quod quantò molliùs substernitur, tantò citiùs aduersitatum flammis consumitur) hæreamus; sed sensus potiùs nostros, ab ijs quæ citò pereunt, ad lucis æternæ gaudia contéplanda traducam⁹: repugnantes auté, ieiunijs, vigilijs, orationibus, afflictionibus maceremus, conficiamus, castigemus, & vt spiritus obediant, in seruitutem redigamus. Quod Angelus ille terrestris & homo cœlestis Paulus Apostolus nos facere vult, vt si cum Christo confurreximus, quæ sursum sunt quæramus, quæ sursum sunt sapiamus, *NON QVÆ SVPER TERRAM.* id vt exequamur prouidendum nobis est.

Coloss, 3.

Sursum, aquilatam instar, euolare; cœlestia sola meditari. duabus alis, Dei videlicet & proximi charitate ad superiora ferri nos oportet. Quid enim Christus passus & mortuus nobis profuerit; si membra nostra quæ sunt super terram non mortificamus, si paruuli non efficimur, si ad cœlestia non euolantes, exiguo tantum illius mundi nido circumscribi velimus? Discamus inquit Ambrosius, in hoc mundo supra mundum esse, etsi corpus gerimus, volitet in nobis alis interior. Quid enim est mundus hic? Citò præterit illius figura; concupiscentia illius transit. Asperitatem habet verã, vt quodam loco scribit Augustinus, iucunditatem falsam, certum dolorem, incertam voluptatem: durum laborem, timidam quietem: rem plenam miserix: spem beatitudinis inanem. Contemnatur igitur à nobis. conculetur, & proteratur mundus; coniungamus autem nos Deo, vt crescat in nouissimo vita nostra.

*lib. de virg.**Eccle. 2,**Eccle. 33.*

Domine, qui timentibus te occurrere mala non permit-
tis, & in tentatione illos conseruas & liberas à malis, da nobis
timorem & amorem tuum: vt fallacis mundi insidias deu-
itare, illecebras turpitudinum fugere, noxias cupiditates
exterminare, spernere & reijcere te adiuuare possim. Sis ro-
bis sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & su-
per eos volitans expande alas & assume nos, atq; porta in
humeris tuis. Inspira nobis pias & sanctas cogitationes, quæ
à voluptatum mundi illius nido nos auocent, in dulcedinis
amoritq; tui admirationem rapiant, à noxijs præseruent, cu-
stodiant protegant. Libera nos, secundum multitudinem
misericordix nominis tui, à rugientibus præparatis ad escã,
de manibus quærentium animam nostram, & de portis tri-
bulationum, quibus nos in tentationibus hostis humani ge-
neris circumdare solet. Da nobis cor sapiens & intelligibile,

*Deut. 32.**Eccle. 51.**Eccle. 4.*

vt abstinemus à peccatis, & in operibus
iustitix successus semper sæli-
ces habeamus

ADULTERÆ LIBERATIO.

*Thalamis desponsæ pudicis.*

Ioann. 8.

Psal. 105.

Mulier in adulterio deprehensa, & ad Christum adducta gentium significat, Ecclesiam: quæ quamdiu barbara Ethnicorum idolorum superstitione conflictabatur, tamdiu alteri viro, nempe Diabolo, & errori turpiter adhaerebat: vbi verò Christum agnouit, & ex impietate ad puram veri Dei religionem san&imoniamq; nefario adulterio, quo in adinventionibus suis fornicabatur, abiecto, demigravit; tũ demum conuersa, & vni viro Christo Dño coniuncta, sponsa eius est effecta. Et lex quidem vetus (per scribas & Phariseos abeuntes, qui de iustitia tantum legis gloriabantur, hinc expressa) disparuit; **IESVS** autem & mulier, Euangelium

vide

videlicet & Ecclesia, vsq; ad consumationem sæculi manet; quam nulla deinceps tempestatum vis, nullæ Hæreticorum & quorumcunq; infidelium minæ, nulla Ethnicæ idololatriæ libido, à legitimo suo sponso separabit vnquam. Quandoquidem illa sola est, de qua Propheta vaticinatur.

Pro eo quod fuisti derelicta, & odio habita, Isa. 60.
 & non erat qui per te transfret; ponam te in superbiam, sæculorum, gaudium in generationem & generationem: &c. & scies, quia ego Dñs saluans te, & redemptor tuus fortis Iacob.



Quamvis animæ fidelis interfit, optimæ mentis consciētia sustentari, scribarum & Phariseorum exemplo possumus admoneri: qui dum mulierem in adulterio deprehensam Christo adducunt, homines alioquin, audacissimi, angore sollicitudineq; conscientiz cruciati, non modo illa voce

Ioan. 8.

Dñi audita. Qui sine peccato est vestrum primus in illam lapidem mittat, conticuerunt, sed etiam profugerunt. Quomodo enim peccatorem peccatores punirent, qui fortasse in insigniori aliquo ad puniendum vicio versarentur? Quamobrem vt quisq; se maxime grauatam videt, hoc ad iudicandū de proximo suo tardior, ad commiserandum verò promptior esse debet. Conscientia mille testes, dixit quidā: nos metipso in omnibus actionibus nostris siue bonis siue malis, & Deū qui renes & corda scrutatur testes adhibeamus: duo ij mille testium instar nobis sunt, cum nihil horum quæ agimus eos latere possit. In nos ergo potius ipsos, non in aliena vitia, cōiectos oculos habeamus, maximoq; studio caueamus, ne quid committamus quod vel Deum inspectorem offendar, vel nos nobismetipsis testibus accuset. Domus quædam esse videtur conscientia nostra: in quam nemini præterquam Deo soli, atq; ad eō nobis ipsis accessus patet. Quod igitur alicubi scriptum legimus; præcurre prior in domum tuam; & illic auocare, & illic lude, & age conceptiones tuas, & non in delictis & verbo superbo; hoc quisq; ita sibi dictum arbitretur, vt antequam de aliquo iudicium ferat, ipse domum ingrediatur, vitam actionesq; suas contempletur: vt à strepitu carnalium desideriorum auocatus, Deiq; voluntate, quam in tabulis cordis sui descriptam habere debet, perscrutata, non nisi illa curet, quæ Deo grata, sibi salutaria, proximo autem suo fore vtilia animaduertit. Hac enim ratione, eam sibi ad beatè viuendum securitatem comparabit; vt rectè factorum conscientia fretus, *NEC VI* Diabolicarum tentationū, quibus veluti machinis quibusdam animi nostri constantiam semper expugnare nititur, ad peccandum induci; *NEC METU* humano, quo multi tanquam vento vrente percussi ne virtutum fruges producant, retardantur, labefactari possit. Hoc enim est muro atheno, cuius Poeta lyricus meminuit, vallari; puram atq; integram mentem; quæ nullius sibi criminis conscia est, habere. Contemnit illa vanos hominum rumores, perturbationes retundit, præstat solatia, famam auget, vitam

produ-

Quintil.
decl. 9.

Ecccl. 31.

Gen. 41.

Hor. Epif.
l. 1. epist. 1

producit, aduersa tolerat. prospera secundat, ininis non mo-
 uetur, mortem spernit, & ea perfundit, homines voluptate,
 qua in vita nulla maior cogitari potest. Hanc igitur bonæ
 conscientiaē vim considerantes, de tali tantoq; bono conse-
 quendo sollicitos esse nos conuenit. Consequemur autem id
 si peccata cane peius & angue fugiamus, commissa frequen-
 ti confessione abstergamus, & in sola cælestium rerum con-
 sideratione defixos nostræ mentis oculos habeamus. Quod
 præceptum Paulus Timotheo commendauit; hoc & nos di-
 ligenter seruemus; vt militemus bonam militiam. habentes
 fidem & bonam conscientiam; quam quidam repellentes,
 circa fidem naufragauerunt. Lubricus enim est ab impieta-
 re & dissoluta viuendi licentia ad fidei naufragium gradus:
 quod nostro sæculo multis Hæreticis euenisse videmus & in-
 gemiscimus, qui dum à concupiscentia sua abstracti & ille-
 cti, largam, conscientijs suis viam sternunt, à fide ad perfidi-
 am, à Christo in Bethleem nato, ad Jslebiensem, vel Ge-
 neuensem, vel Tygurinum, vel quemcunq; tandem alium
 Antichristum, cuius verbum pro Dei verbo, & Sancto Euan-
 gelio colunt, magno cum salutis æternæ discrimine, transla-
 i sunt. Abscondamus igitur nos in angustum illud timoris
 & amoris Dei plenum domicilium: elongemus nos, à pecca-
 to fugientes: maneamus in solitudine conscientiam nostram
 in interiori mentis tabernaculo diligenter examinantes, rati-
 onem cogitationum, dictorum & factorum nostrorū quo-
 tidie à nobis exigentes: vt si qua in re nos à mandatis Dei re-
 cessisse animaduertimus, lachrymis & dolore pœnitentiæ
 id expiare festinemus: sin autē in virtutibus nos proficere cō-
 tingerit, in cubilibus nostris lætari, proq; tanto beneficio, lar-
 gitori bonorum omnium Deo gratias referre valeamus. Ecce
 ego, Dñe, multum in cogitationibus meis conturbor, & fa-
 cies mea mutata est in me. Video enim librum conscientiaē,
 meæ, ex quo iudicabor. secundum opera mea. Video me irā
 indignationemq; tuam prouocasse, legem tuam non custo-
 diuisse; te nō dilexisse proximū non amasse. Video cōsciētiā
 meā tentatam, & rauatā, conturbatam: videns timeo: timens

1. Tim. 1.

Iacob. 1.

Psal. 59.

Dan 7.

Apoc. 30.

Psal. 102.

Hebr. 9.

doleo. Tu ergo clementissime Deus, aspice dolorē hunc meum, quem quod te patrem benignum filius inobediens offendi, magnum concipio. Non secundum peccata mea facias mihi neq, secundum iniquitatem meam retribuas mihi. Sanguis Christi filij tui Dñi nostri, qui per spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum tibi, emundet conscientiam meam ab operibus mortuis, ad seruiendum tibi Deo viventi. Da vt de nulla re magis cogitem, quam de peccatis meis per pœnitentiam expurgandis, per lachrymas abluendis, per voluntariam castigationem in hoc sæculo puniendis: vt mente casta, conscientia pura, fide perfecta illustratus & ornatus, in libro vitæ scriptus inueniri, teq; cum Sanctis & electis tuis in cœlesti illa patria perpetuo laudare & glorificare valeam.

LANGVIDI CURATIO.



Vita reseruat postera.

Languidus ille, quem ad probaticam piscinam trigefimū iam & octauum annum decumbentem Christus Dñs è grauiſſimi morbi, longinquitate ad ſanitatē reuocauit, ſpeciem quandam & figuram totius humani generis exprimit: quod poſt primi parentis lapſum, cū in extremum ſalutis æteræ diſcrimen coniectum eſſet, hominem non habuit, qui diuturnam illam infirmitatem ab ipſo poſſet depellere, donec cœleſtis ille medicus homo Chriſtus I E S V S veniens non iam in piscina quinq̄: porticus habente, non in veteri lege, quinq̄; libris Moyſi quali circumſepta, ſed proprio ſanguine ſordes & morbos illius ablueret, & in integrum reſtituta illi ſalute, diceret; ſurge, tolle grabatum tuum, & ambula. Surge à peccatis & prauis animi motibus recede: grabatum, in quo hæcenus delituisti tolle: onus pœnitentiæ pro delictis impoſitum, lubens ſuffer: & ambula proficendo in bono; iuxta illud Pſalmi, lbunt de virtute in virtutem. De hac iſtius Euangelici languidi, quin & totius generis humani curatione, illud in Eccleſiaſtico ſcriptum, poſſumus uſurpare.


Est homo marcidus egens recuperatione: plus deficiens virtute, & abundans paupertate: & oculus Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipſius, & exultauit caput eius. & mirati ſunt in eo multi, & honorauerunt Deum.

Ioan. 5.

Vide Thö.
in cap. 5.
Ioann.

Eccleſ. XI





Correctio Fraternalis.

Ioan. 5.

L Anguidum illum hominem curaturus *J E S V S*, quód, num sanus fieri vellet ieterrogauit: admonitionem ab animo sincero profectã non modó vim maximam ad homines ad meliorem frugem reuocandos habere, sed prorsus necessariam esse, videri omnibus demonstratum. Multi etenim reperiuntur, qui posteaquam vitij affuesacti, longo quodam vsu callum obdixerunt, non ferè animaduertunt, in quàm graui periculosaq; versentur infirmitate; Admonitore itaq; egent, qui vt salutis suæ curam suscipiant eos adhortetur, & quantum in ipso situm est, opportuna quoque curandis illis adhibeat remedia. Non satis enim est reprehendisse peccantem, si non doceas recti viam. Admonendi sunt, orandi & nũ sani velint esse frequenter interrogandi. Hoc illud est quod Paulus facere nos iubet inquit; si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite, in spiritu lenitatis Nec verò solis illis qui sacerdotes facti, spirituale vitam profitentur dictum id videtur; ad omnes præceptum hoc extenditur; Mandauit vnicuiq; Deus de proximo suo Cautos tamen nos hic esse oportet, ne dum

Colũ. 1.7.

Gal 6.

Eccle. 17.

alieno

alieno morbo mederi volumus, & ipsum magis prouocemus & nos in dati scandali occasionem conijciamus. Fraternalis igitur correctio cori, quæ ferum solet acutum reddere, similis esse debet. Quemadmodum enim lapidi huic, quandoq; aqua superfunditur; ita qui proximum corripit, acere cum primis iudicium in hoc munere feliciter exequendo adhibeat oportet. Plenum lenitatis & mansuetudinis; aqua autem crudelitatis & rigoris cuiusdam symbolum est. Prudentia igitur hæc in corrigendis aliorum erroribus requiritur, ut ne qui seuetiore obiurgatione deterior fit, huic aqua; qui uero lenitatem corrigi nequit, huic oleum apponatur. Variandæ sunt uices, & ingeniorum motus cognoscendi. Porro ad mores, qui nobis in alijs minus probantur, emendandos, hoc plurimum affert momenti, si is, qui aliquem monet, uir bonus sit & dum alios reprehendit, ipse non habeat quod in eo alij merito reprehendant: tum autem ab ira uel odio quæ longissimè remoueatur, ne quicquid dixerit aut fecerit, id ab impetu punientis, non à charitate corrigentis profectum uideri possit. Dilige: & dic quicquid uoles scribit quodam in loco Augustinus. Charitas sit, quæ arguat, increpet, corripiat: non odium uel maleuolentia. Ametur persona: uitium detestetur. Illi autem qui monentur, quod in Prouerbiornm libro legimus, illius memores esse uicissim debent; Qui odit increpationes insipiens est. Ne sint illudores qui non audiant cum arguuntur. Habeant aures, quæ audiant increpationes uitæ, & in medio sapientium commorabuntur. Monentibus & recta docentibus acquiescant, nec habeant corda superantia duritiem ferri: quod tamen dum acuitur mollitur, ut hominum deseruiat usus. Illius Sancti Prophetæ monitis ducantur, qui ad ea quæ Deo placent nos excitans: Hodie inquit, si uocem eius audieritis, **NOLITE OBDURARE** corda uestra. Uocem eam domini esse sibi quisq; persuadeat, quoties ab aliquo in charitate fraternali corripitur, ad bene faciendum acuitur, instruitur, expolitur; utq; à uia iniquitatis recedat monetur. Ad hanc uocem obedientia, ad obedientiam

In epist. ad Gal.

Prou. 12.

Ibid. 13.


Ibid. 15.

celeritas accedat, vt qui vocem Diuinam hodie audierit, hodie faciat quod audiuit, hodie exequatur quod iubetur. *Hebr. 13.* Quod ergo Paulus Apostolus facere nos monet, inquit; Adhortamini vosmetipsos per singulos dies. donec hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati, id cordibus nostris infixum sit. Ne velimus ex eorum esse numero qui non audierunt, nec inclinauerunt aurem suam, sed indurauerunt ceruicem suam, ne audirent Dñm, & ne acciperent disciplinã: super quos vniersa mala se indu&urum Dñs pollicetur. Pleni simus dilectione, repleamur omniscientia, vt alterutrum monere, & animas nostras castificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde inuicem attentius nos diligere possimus; scientes quod qui conuerti fecerit peccatorẽ ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.

2. Pet. 1. Domine Deus, qui eos qui exerrant paternè corripis, & de quibus peccant admones & alloqueris; humilitatis & mansuetudinis spiritum nobis tribue, vt si quando in commonitione suscitamur ad bonum, excipiamus doctrinam tuam, & relicta malitia credamus, in te Dñe. Da vt in fratre corrigendo, non odium sed charitatem spectemus, ea quæ in alijs reprehensione digna existimamus, ipsi fugiamus, aurẽ monentibus benignam præbeamus, alios in amore fraternitatis adhortemur, viam prudentiæ doceamus; quod cum illis qui arguunt impios laudari, & super nos vehementem benedictionem apprehendere possimus.



CÆCI NATI ILLUMINATIO.



Spiritui ne carnea distent.

Post Adami è paradiso voluptatis, expulsionem, quoscun- que natura in hoc iam exilio fingit homines ac creat, eorum animos peccatum ita cæcare solet; vt cæco nato, quem Christus Dñus illuminauit, persimiles videantur: quæ illorum cæcitas nisi superna gratia illustretur, in perpetuis tenebris, & sempiterna quadam caligine iacerent. Quomobrem pulchrè Gregorius redemptorem nostrum saliuam luto miscuisse & cæci nati oculos reparasse scribit; vt ostenderet, quod superna gratia carnalem cogitationem nostram per admixtionem suæ contemplationis irradiat, & ab originali cæcitate hominem ad intellectum reformat. Saliuæ nanq; nomine, vt idem alibi testatur, sapor internæ contemplationis intelligitur: quæ ad os, è capite defluit, quia de claritate conditoris, qui caput nostrum est, adhuc in hac vita nos positos, gutta reuelationis tangit; vt illud Esaiæ, non magis ad oculorum quam ad animorum cæcitatem, beneficio seruatoris relaxandam, referri possit.

Ioan. 9.

Isaia. 35.

*Deus ipse veniet & saluabit nos. Tunc aperi-
entur oculi cæcorum, & aures surdorum pa-
tebant.*



Ioan. 9.

Vox illa Christi, qua cùm cæcum natum illuminaret, vsus esse scribitur, vade, laua, innuere videtur, Deū semper à nobis cùm nos illuminat vel iustificat, aliquid require- re, vt verissimum illud sit; Qui fecit te sine te, non saluabit te sine te. Quamobrem cùm cæcus ad lauandum ire iubetur, admonemur atq; instruimur nos, vt si ab animæ cæcitate mû- dari, & Diuinæ gratiæ gloriæq; claritate velimus illustrari, prius nos lauemus, nempe ad sordes vitiorum abstergendas, manus ipsi quoq; nostras admoueamus, declinemusq; à ma- lo & faciamus bonum, scientes quod vnicuiq; reddet Deus secundum opera eius, ijs quidem qui secundum patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem qua- runt vitam æternam: ijs autem qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati credunt autem iniquitati, ira

Rom. 2.

& in-

& indignatio. Quò magis detestandus est implus nostri temporis Hæreticorum error, qui dum solam fidem ad æternam salutem consequendam sufficere putant, operibus bonis meritum omne detrahunt, eoq; homines pertrahere velle videntur, vt ne vnquam aliquod opus bonum faciant: quod etiam eorum sequaces sedulo curare, quilibet facile videbit, qui seditiones, bella, templorum deprædationes, virginum Deo dicatarum violationes, subditorum oppressiones, sacrilegia, homicidia, & alia quæuis abominanda facinora, illis in locis maximè vigere animaduertit, in quibus ab vnitatis cathedra discessum est. Scilicet isti sunt præclari huius noui cuiusdam Euangelij fructus; quod sub scamno latens, quinquaginta ab hinc annis se in lucem nostri temporis Hæresiarcha produxisse gloriatur, vt ne quid boni homines agant, sed fidei soli innixi quiduis agendi libidinem atq; licentiam sibi permittant. Nos verò missos facientes illos, qui Diaboli potius Cacangelium, quàm Christi Euangelium profitentur, eam fidem amplectamur, quam per Charitatem operari scribit Apostolus: cuius quasi mentem pulchrè explicans Hugo, tria dicit esse, quæ ab initio, & ante aduentum Christi, & post, ad salutem obtinendam necessaria fuerunt; scilicet Fides, & Sacramenta fidei, & bona opera; quæ tria ita cohærent, vt salutis effectum habere non possint, si simul non fuerint; Quia nec Fides meritum habet si dum potest operari negligitur: nec bonum opus est aliquid si sine fide sit; & rursus fides operans, hominem sanctificare non sufficit, si eam quæ in Sacramentis Dei constat, sanctificationem concipere contemnit. Hæc igitur tria, vt ne ab inuicem separemus, omni cura diligentiaq; prouideamus, Habeamus eam fidem, quæ à Sanctis maioribus nostris per longâ Episcoporum & Sacerdotum successionem, velut per manus tradita, ad nos vsq; peruenit. Sacramentis ijs vtamur, quæ ex ipsius Christi instituto, Sancta Catholica & Apostolica seruat, atq; fidelibus dispensat, Ecclesia. In omni autem opere bono ita nos exerceamus; vt non sublime sapientes; neq; iu-

De Sacra.

. Tim. 6.

- incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum, sperantes, bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facillè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum discamus. Quod in Prouerbiorum libro scriptum legimus; Qui operatur terram suam satiabitur panibus, qui autem sectatur otium stultissimus est; id perpetuò mentibus nostris infixum sit. Ne sectemur otium, si stultissimi videri nolumus: operemur terram nostram abundemus in omne opus bonum, si pane gloriæ cœlestis cum seruis Dei satiari volumus. Debet in spe qui arat arare; qui triturat in spe fructus percipiendi, inquit Paulus. Spe igitur regni cœlestis apprehensa, dū spiramus.
- DVM TEMPVS HABEMVS*, dum dies est & sol lucet, dum in hoc mortali corpore versamur, operemur bonum ad omnes. Veniet enim illa nox, post animæ e corpore migratione, quando nemo poterit operari. Ante obitum operemur iustitiam, quoniam non est apud inferos inuenire cibum: operemur autem semper in melius proficientes, de virtute in virtutem euntes, memores illius dicti seruatoris nostri; Ne mittens manum suam ad aratrum & respiciens retrò, aptus est regno Dei.
- Tu autè Dñe, qui operatus es Petro in Apostolatù circumcissionis: operatus es & Paulo inter gètes: auxiliare quòq; & nobis miseris, vt ex bona conuersatione, operatione nostrâ in mansuetudine sapientiz possimus ostendere. Et quoniam eorum tu adiutor es qui sunt imbecilles, & sustentas brachia eorù qui nō sunt fortes; accinge nos infirmos robore: gratiâq; hâc mērib; nostris infunde, vt nō nisi quæ recta sunt cogitare, dicere, & facere possimus. Da virtutē & fortitudinē plebi tuæ vt ea perpetuò cogitet, quæ ad salutē cōsequendâ necessaria; eadicat quæ ad ædificationem proximi vtilia, ea faciat quæ ad laudē & gloriã tuã dilatandâ honorifica videbūt. Vt videntes opera nostra bona, gètes quæ te non cognouerūt nec inuocauerūt, nomē Sanctificationis collaudare & magna opera tuorum enarrare vnà nobiscum valeant.

LAZARI SVSCITATIO.

*In pristina reddo.*

Lazarus quem mortuū & quadriduo in sepulchro cōstitutum Dñus à morte ad vitam reuocauit, hominē quēuis in peccatis mortuum, mystico sensu denotat: qui verē in monumento concludi dicitur, quando mala consuetudine ad aliquam deformitatē veniens, in illa se totum immergit, vnde nisi solius Dei aecedente præsidio erui atq; liberari non potest, qui cū totius pietatis & clemētiz sit fons, nolēs mortē peccatoris, sed magis vt cōuertatur & viuat, ad monumētū fætidī cadaueris illius, cuius teterrimus odor per peccatū

Ioan. 11.

Ezech. 18

consurgit

In Hō. 26.
sup. Euan.

consurgit, accedit, & diuino instinctu afflatuq; mentes affidue concitans, vocare hominem non cessat, vt foras exeat, vt qui intra conscientiam suam abscondus iacet per nequitiam à seipso foras exeat per confessionem. Omnis quippe peccator, vt scribit Gregorius, dum culpam suam intra conscientiam abscondit, introrsus latet: in suis penetralibus occultatur: sed mortuus venit foras, cum peccator nequitias suas sponte confitetur. Lazaro ergo dicitur, veni foras: ac si aperte cuilibet mortuo in culpa diceretur; Cur reatum tuum intra conscientiam abscondis? Foras iam per confessionem egredere, qui apud te interius per negationem lates. Veniat itaq; foras mortuus, id est, culpam confiteatur peccator; venientem verò foras, soluant discipuli: vt pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amouere quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit. Summam itaq; Saluatoris nostri benignitatem videre & admirari licet, qui multis varijsq; modis hominem à peccati turpitudine ad innocentiam retrahens, ad se peramanter allicit, & nos! apud Hieremiam illis verbis alloquitur;

Ierem. 31

In charitate perpetua dilexi te, ideò attraxi te miserans, rursumq; adificabo te.





Qui Martham & Mariam sutores, mortem Lazari fratris complorantes, & ad Christum magna cum alacritate accurrentes, cogitat; colligere ex eo potest amicos Christi, dum in hac vita sunt, variè quidem affligi; sed ad auxilium Christi illico confugere: quo per illustrationem internam & amoris excitationem adueniente, sancti spe futuræ resurrectionis consolantur: maiorem posthac in ipsa Lazari, corporis nimirum in terra sepulti resurrectione consolatione percepturi. Horum igitur imitatione, quoribus Dñus lucem in vmbra mortis & caliginem ponit, animum videlicet nostrum serenū quarumcunq; tribulationum tenebris obscurat, hanc potissimum mœrori ægitudineq; nostræ medicinam adhibere discamus, vt mente omni ad Christum reuocata rebus nostris auxilium ab ipso ferri supplices petamus. & illius, quod in libris Machabæorum scriptum est, memores, ne abhorrescamus propter aduersus casus, sed reputemus ea quæ accidunt *NON AD INTERITVM* sed ad correptionem esse generis nostri. Notū est ominibus aurum & argentum, non vt intereat, sed vt mundetur, vasa fictilia non vt dissoluatur sed vt perfici-

Ioan. 11.

Ierem. 13.

2. Mach. 6

antur in fornacem ignis mitti: idem & de hominibus fieri ex Ecclesiastici libro discimus: In igne probatur aurum & argentum; homines vero receptabiles in camino humilitatis. Vasa figuli probat fornax: & homines iustos tentatio tribulationis. Fornax hic quemadmodum pulchre quodam loco scribit Augustinus, mundus est; aurum iusti, ignis tribulatio, artifex Deus. Quod vult ergo Deus faciamus: ubi ponit nos artifex toleremus. Iubemur nos tolerare; nouit ille purgare. In nostram itaque utilitatem, id omne cedit, quoties hic affligimur. Nam & Deum tum maxime querere & diligere incipimus, cum quantum nobis in rebus humanis præsidij sit relictum discimus, iuxta illud Prophetæ, Domine in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis; & à vitijs quæ plerumque in causa sunt, ut vel in corpore vel in fortunis detrimentum aliquod sustineamus, diligentius cauere discimus. Fit etiam quod ad fortiter aduersa omnia toleranda animosiores efficimur, quando ea quibus affligimur, propter grauiora peccata siue nostra siue aliena nos pati, nobis persuademus. Ea siquidem recordatio, delicti magnitudine, pænæ ipsius acerbiter eleuat, efficitque illud, ut etiam grauissima quæque in præsentia vita perferre, pro nihilo ducamus: dummodo hac ratione, quæ in futuro, flagitij & sceleribus pænæ debentur, hic aboleatur. Sed & illud magnum est Diuinæ gratiæ indicium, cum aliquis ærumnis premitur. Quem enim diligit Dominus corripit, & quasi pater in filio complacet sibi. Hinc & Tobias quia acceptus erat Deo, necesse fuit ut tentatio probaret illum: & omnes illos qui Deo placuerunt, per multas tribulationes transisse fideles. Iudith vidua enumerando recenset. His igitur cogitationibus armati, tanto libentius aduersa tolerare debemus, quanto altius & peccatorum nostrorum enormitatem & summam Dei benignitatem memoria repetimus. In maximo certe lucro id nobis ponendum est, dum hic ad tempus punimur, ut ne in æternum puniamur. hic lugemus, ut perpetuo gaudeamus. hic purgamur & mundamur, ut in cœlesti patria (plen-

dorem

dorem sempiternum induci viuamus. Damna temporalia, fœlicitate immortalis, tristitiam lætitiâ; luctum gaudio commutamus, dum solam cœlestium spem propositam habentes, aduersas res quæ accidunt, placidè moderatèq; ferimus: vt interim illud taceam, fieri nonnunquam, vt posteaquã forti & excelsò animo calamitates pertulerimus, etiam hæc quæ ad vitam præsentè pertinent, magis augeantur & crescant: quod Sancto Iob euenisse videmus, cui post flagella Dñs addidit omnia quæcunq; fuerant duplicia, & nouissimis magis quã principio eius benedixit. In paucis igitur vexati, in multis benè disponemur. Quoniam Deus tentauit eos, & inuenit eos dignos se, Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos, & in tempore erit respectus illorum.

*Iob, 42.**Sapient. 3.*

Domine qui suauiter omnia disponens mortificas & viuificas; deducis ad inferos & reducis; pauperè facis & diras; humilias & subleuas: da vt ne in prosperis extollamur, in aduersis ne animo decidamus, sed in omnibus Diuinæ tuæ uoluntati acquiescetes; quæcunq; nobis euenierint, illa ad emendationè & utilitatè nrâm à te profecta intelligamus. Corripe nos Dñe, uerûtamen in iudicio & non in furore tuo, ne forte ad nihilũ redigas nos. Peccata nostra contra nos sunt semper: accusant nos, uindictã exposcunt. Corripe nos igitur in hoc nõ in illo futuro sæculo, uerûtamen in iudicio corripe. Tantũ nos tribulari permittite; quantũ sustinere fragilitas nostra potest: ne si supra vires têtari fuerim9, pereamus, & dũ in furoris tui uirga nos corripis, miseri in nihilũ redigamur, descendèdes in profundum quasi lapis. Fortè animũ & patiens cor nobis tribue, vt dũ tribulationũ igne adurimur, in cõspectu tuo humiliemur: dũ rixamur, preces nrãs ante faciè tuã in miserationibus tuis multis prosternamus: dum affligimur non uiscamur nos pro his quæ patimur: sed reputãtes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse flagella Dñi quibus quasi serui corripimur: ad emendationè & nõ ad perditionè nrâm illa nobis euenire credã: tibiq; cũ dilecto seruo tuo Iob pro omnibus gratias agètes illud semper in ore habeam9.

*I. Reg. 1.**Ierem. 10.**Exod. 15.**Dan. 6.**Iuath. 3.*

Iob. 1. & 2

si bona suscepimus de manu Dei; mala quare non suscipiamus: Dominus dedit, dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Dñi benedictum.

INGRESSVS HIEROSOLYMAM.



Tales in bella venimus.

Matt. 21.

Homil. 37
in Matth.

IN omnibus nostri saluatoris actionibus cum virtutes quædam ipsi deant, quæ animos hominum ad imitationem sui quasi stimulis quibusdam incitant, tum verò in hoc ipsius Hierosolymam ingressu, mansuetudo quædam & modestia singularis elucet. Nec enim vt Chrysostomus ait, sedit in curru aureo pretiosa purpura fulgens, nec ascendit super feruidum equum discordiæ amatorem & litis; sed sedet super asinam, tranquillitatis & pacis amicam. Non vides in circuitu eius splendentes gladios, aut cætera ornamenta terribilium armorum. Sed quid? Ramos frondentes, testimonia pietatis. Venit ergo mansuetus sedens super asinam & pullum eius. Nam super vtramq; animal, cum esset Deus, spiritualiter se-

dere

dere poterat vt & in Iudæis federet & in gentibus simul. Sedere autem super iumenta, est in præcordijs eorum habitare, vt dicat illis Christus. Tollite iugum meum super vos, & videre quia mitis sum & humilis corde. Mansueti enim mansuetum debent portare. Vestimenta autem super asinam ab Apostolis imposta, præcepta sunt Diuina & gratia spiritualis, quam super gentiles & Iudæos Apostoli imposuerunt; Nec enim requiescere in eis potuisset Christus, nisi mandata eius fuissent in eis. Et vide quoniam super iumentum quidē Apostoli posuerūt vestimenta sua, sub pedibus autē iumentī cætera turba iudaica quoniam mandatis Apostolorū sternuntur quidem Christiani & adornantur; legis autem mandata conculcant, dum circumcisionē spernunt, sacrificia iudæorum, pro nihilo æstimant, & cæteras consuetudines iudæicas reprobant. Sciens autem Propheta malitiam Iudæorum, quia contradicturi fuerant Christo ascendenti in templum, idē præmouit, vt per hoc signum cognoscerent Regem suum Iudæi, dicens;

Ecce Rex tuus veniet tibi, iustus & saluator ipse pauper, & ascendens super asinum, & super pullum filium asinæ.

Matt. 11.

Zacha. 9.





[Nilla solenni pompa, qua Christus salutem nostram operaturus, Hierosolymã ingressus est; animæ spiritualis lætitia nobis exprimitur; qua perfruitur homo, dũ per Apostolos eorumue successores, à peccatorũ nexibus solutus, virtutũq; omnium ornamentis quasi vestibus quibusdam decoratus, Christum gerit; & de Hiericho instabili videlicet vitæ præsentis voluptate, quæ tanquã luna (hãc enim Hiericho significat) mutatur; ad Hierusalem quæ pacis cœlestis est visio, per deuotam spiritualium meditationem deportatur. Hęc demũ vera est lætitia, quæ non delitijs sæculi mundiq; voluptatib; , sed harmonia cœlesti excitatur, quæ non de creatura, sed de creatore concipitur; Vnde & Apostolus ad Philippenses scribens nos admonet; Gaudete IN D O M I N O semper; iterum

Phil. 4.

dico

dico gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Dominus prope est. Gaudere lætari q̄; in Domino semper iubemur, gaudere autem in Domino ea demum ratione poterimus, si modestia nostra, integritas, vitæq̄; puritas per sanctam conuersationem hominibus innotescat; vt dum alios exemplo nostro ad innocentiam & pietatem erudimus, Dominum prope nos esse & veluti coram nobiscum versari intelligamus. O verè beatum illud gaudium, quo anima in angustijs istius vitæ posita, exhilaratur; ad laudandum & glorificandum Deum incitatur, abundantia dulcedinis dilatatur, consolatione roboratur, charitate perficitur. Quoniam autem mundi huius lætitia, musicorum instrumentorum tractatione, vt plurimum excitatur, habet & anima Christo dedita spirituale decachordum, cuius symphonia ad lætandū in Domino prouocatur & impellitur: quo in psallendo, sanctum illum Regem & Prophetam Dauid vsū fuisse nemo dubitauit, qui quo spiritu afflatus psalmos suos concinauerit, diligentius voluerit intueri. Decem itaq̄; chordæ, quæ pleetro spiritus tactæ, mirabili quadam harmonia & suauitate animam afficiunt, decem sunt nostræ salutis mysteria: Sanctissimæ videlicet, Trinitatis mysterium, Incarnationis & Natiuitatis Christi, Prædicationis & Sanctitatis, miraculorum quæ fecit, Passionis & mortis, Resurrectionis, Ascensionis & Regni vniuersalis, spiritus sancti missionis, Gentium ad Ecclesiam vocationis, & ex vtroque populo congregationis, iudicij extremi, & vltimæ glorificationis. Hæc mysteria diligentius perscrutata, suauissimum quendam concentum efficiunt, & animam ea lætitia voluptateque perfundunt, vt terrenarum iucunditatum oblita, in hac sola conquiescat harmonia, cuius quò maiorem dulcedinem perspiciamus, hoc maiori contentione nobis est elaborandum, vt si veræ lætitiæ participes esse volumus, in hoc psalterio decachordo noctes ac dies Domino psallamus; decem ista mysteria semper præ oculis habeamus, illa meditemur, illorum recordatione, vitæ istius calamitatibus medeamur. Assequemur autem hoc, si primum quidem humanæ vitæ va-

*Iacob. Pa-
rē in pro-
logo Psal-
terij
Taaē. I.*

varia reputantes mala, quàm vana & fluxa sint mundi gaudia, quàm multo mœrore contaminata sit in hoc sæculo lætitia seriò consideremus; deinde verò mentem nostram animumq; ita cõponamus, vt ne aliquorum scelerum conscientia impediatur vel opprimatur. Nisi enim hoc factum fuerit, non est quod lætitiæ spiritualis fructû se quis consequi posse speret, cum in Domino lætari & exultare non alij possint, quam qui iusti, pij, & Deum timentes sunt. Timor enim Domini delectabit cor, & dabit lætitiã & gaudium in longitudinem dierum. Qui sine timore est, non poterit iustificari, non poterit verè in Domino lætari, gaudere & exultare. Hæc igitur diligentissimè perpendentes, peccata quæ nos, quominus in Domino gaudere possimus, impediunt, abijciam⁹: nos nostraq; omnia Christo Domino subternentes, à vanis ad vera gaudia progrediamur: despicientes transitoria, ad æterna lætinemus. in terris viuentes ad cœlestium contemplationem ita nostræ mentis aciem intendamus, vt ibi nostra semper fixa sint corda, vbi vera sunt gaudia. Domine qui secundum multitudinem dolorum nostrorum, in corde nostro, consolationibus tuis lætificas animas nostras: da vt de nulla alia re maiorem dolorem concipiamus, quàm quod te Patrè benignissimum peccatis nostris offendimus. In hoc dolore, consolationum spiritualium lætitiã nos imple, lachrymarum dulcedine inebria, seruore amoris illustra. Quicquid in mûdo tuæ maiestatis oculos offendit, displiceat nobis, quicquid creaturam à creatore abducit, sordescat nobis, vt à peccatorum sordibus expurgati, tibi seruire in lætitiã, introire in conspectu tuo in lætitiã possimus. Vtinam cum Propheta illud ego possim vsurpare; Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: qui induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me. Vestimentis salutis indui, iustitiæ indumento circumdari, ingens animæ gaudium adfert. Da ergo clementissime Deus, vt tali amictu vestitus, tali corona decoratus, talibus monilibus ornatus, spirituale illud decachordum tractans, decem nostræ

salutis

Eccl. i.

Psal. 93.

Psal. 99.

Isaie. 61.

sa lutiſta myſteria ſemper euoluens, tibi in cor meum venienti occurram, tibi adiutori meo pſallam: veſtimenta mea vitæ præſentis commoda propter te abijciam, negligam: pro ramis oliuæ. pacem tecum factam tibi perpetuò offeram, illam retineam: & ad extremum Oſanna illud cum turbis clamé; à te ſaluari cum lachrymis in hac vita poſtulem, quodq; poſtulauero in futura planè obtineam.

TEMPLI REPVRGATIO.



Procul este prophani.

Inter omnia ſigna & miracula, quæ plurima Dñus IESVS edidit, illud plurimum habere admirationis ſcribit Hieronymus, quod vnus homo & illo tempore contemptibilis, & in tantum vilis vt poſtea crucifigeretur, ſcribis & Phariſæis contra ſe ſæuientibus, & videntibus lucra deſtrui ſua, poterit ad vnus flagelli verbera tantam eijcere multitudinem. mentaſq; ſubuertere, & Cathedras confringere, & alia face-

*In cap. 21.
Matthæi*

Hemil-18
in Matth.

Aclor. 9.

Malach. 1

Isai. 56.

re, quæ infinitus non fecisset exercitus. igneum enim quidam atq; sydereum radiabat ex oculis eius, & diuinitatis Maestas lucebat in facie. Porro per illud Dei templum mysticè Ecclesiã Christi significari tradit Origenes, in qua sunt multi, non sicut, debent; viuentes spiritualiter, sed secundũ carnem militãt, qui & domum orationis de lapidibus uiuis constructã, faciunt speluncã esse latronum, actibus suis non Ecclesia Dei dignis, sed spelunca latronum. Vendentes autem & euentes eos esse scribit qui rarius in orationibus vel alijs actibus rectis permanentes, huius tantũ mundi negotijs implicantur. Per numularios verò illos intelligit, qui non bene tractantes Ecclesiasticarum pecuniarum mensas, quæ cura propriè ad Diaconos (vt ex actis Apostolorum patet) pertinebat, semper de eis fraudant, & ipsas quas dispensant, non secundum iustitiã dispensãt, sed diuites fiunt de rebus pauperum. Cæterum Episcopi & presbyteri, quibus creditæ sunt Cathedre, qui tradunt Ecclesias quibus non oportet, & constituunt principes quibus non expedit, ipsi sunt, qui vendunt columbas, id est gratiam spiritus sancti, quorum Cathedras Christus euertit, quandoquidem non est illi voluntas in eis, & munus de manu illorum non suscipit, non nundinationi sed orationi tantum in domo sua locum relinquens, iuxta illud Isaiæ.

*Domus mea domus orationis vocabitur
cunctis populis.*





CUm Christum in hac mortali carne constitutū tam graues pœnas exegisse legimus ab his, qui insolentiùs circa cultum Diuinum se gerebant, vt eos è templo Hierosolymitano eijceret; cogitare debemus, nos impunè minime laturos, si quid quod Maiestatem Diuinam offendat, admiserimus. Quamobrem si nos amor, vt ne peccemus, in officio continere non potest, saltem timor iudicis, gehennæ metus, tenebrarum dies, torrens sulfuris, ignis inextinguibilis, vermis non moriens, & terribile illud ferendæ in impios sententiæ fulmen, à vitijs nos absterreat. Verissimum enim illud est quod apud Prophetã scriptum legimus, FORTIS VLTOR Dominus; reddens retribuet. Nemo quicumq; peccat impunitatē sibi polliceatur. Vltorem & quidē sortē vltorē, qui non nisi à propria misericordia, superari potest, experietur. Reddens vniciq; retribuet Dñs, secūdū opera cuiusq;. Cū itaq; horrendū sit incidere in manus Dei viuētis, timeamus eū qui & animam & corpus potest in gehennā mittere & terribilē illā

Matth. 21

Ierem. 51.

Hebr. 10

expectationem iudicij & ignis æmulationem quæ consumptura est Diuinæ legis aduersarios, præ oculis habentes, à peccando abstinenceamus. Et si autem Timor hic, qui recordatione supplicij in nobis nascitur longius à laude perfectionis absit; tamen vel hoc vno laudandus est, quod sensim in cor hominis amorem Dei introducit, iuxta illud; Timor Dei, initium dilectionis eius, fidei autem initium agglutinatum est ei. Nec enim hic illud habet locum, quod plerumque dici solet; Quod timent facile oderunt omnes. Ita Deus propter iustitiam timetur, vt propter misericordiam non possit non amari. Quis etenim hunc non amet, quem cum ob illatam iniuriam, ad vindictam paratum esse videat, non illicò tamen peccantem punire, quin sæpius etiam illius misereri conspiciat? Fieri non potest, quin hæc ipsius benignitas, errantis animum molliat ad amandum, vindictæ autem cogitatio, impellat ad timendum. Qui Deum itaque timet, etiam amat: qui bene amat etiam timet. Res enim istæ in cælesti deuotione sociatæ sunt, ex quibus compunctio salutaris in nos oritur, ex compunctio autem contemptus terrenorum, ex contemptu humilitas, ex humilitate mortificatio voluntatum, ex mortificatione vitiorum fuga, ex hac autem virtutum omnium dona pullulant, quibus cordis puritas, & Apostolicæ charitatis perfectio acquiritur. Timor igitur Domini fons est vitæ et quo talia tantaque bona promanant. Paradisus est benedictionis, à quo spiritualium voluptatum, & gaudiorum fructus diffunduntur. Thesaurus est inestimabilis, in quo diuitiæ salutis, vera sapientia & scientia reconduntur. Malleus est Iahelis, quo Sisara, hostis videlicet noster Diabolus percutitur. Beatus itaque homo cui donatum est habere timorem Dei qui tenet illum cui assimilabitur? Assimilabitur viro sapientii, qui ædificat domum suam supra petram. Reuera enim supra firmam petram spiritualis ædificij fabricam construit is, qui omnium actionum suarum, tanquam fundamentum quoddam timorem Dei ponit: in quo cum sit fiducia fortitudinis, non est quod à ventis & tempestatibus istius mundi sibi me-

tuat.

*Eccle. 25.**Cass. sup.
Isa. 32.**Eccle. 14.**Isa. 40.**Isa. 33.**Iud. 4**Eccle. 25.**Eccle. 14.*

tuat. Atq; vti nam hoc fundamentum, in hominum cordibus nostro tempore positum videremus: nunquam ad eam impietatem ventum esset, qua Diuina & humana iura contulsa sunt & labefactata. Plures etenim quàm vellemus inueniuntur, ante quorum oculos cum timor Dei non sit, humanum quendam timorem sibi proponunt, quo ne Christum libere confiteri. proq; domo Dei murum sese opponere auderent, prohibentur: ibiq; trepidant timore, vbi non est timor: & dū Diabolum offendere timent, in grauem Dei indignationem se incurere non animaduertunt, qui non tantum hæc temporalia, pro quibus solis esse solliciti videntur, illis non raro adimit, verum, quod multo grauius est, corpus etiam & animam in gehennam mittit. Timeamus ergo Deum, qui super omnes est; & Diabolum non timebimus: timeamus Deum, & non timebimus quid faciat nobis homo.

Domine qui voluntatem timentium te facis, & deprecatione eorum exaudis, & saluos facis eos; confige timore tuo carnes nostras, vt dum te iustum & rectum esse audimus, attendamus quid timeamus: dum te quàm dulcis & benignus sis cogitamus, attendamus quid diligamus: quo timore & amore tuo excitati, legem tuam semper custodiamus. Da vt timentes te, inquiramus quæ beneplacita sunt tibi; & diligentes te repleamur lege tua. Non nos humanus timor ab aperta tuæ sanctissimæ fidei confessione auocet: sed tuus potius timor ad omne opus bonum stimulet, segnes excitet, frigidus inflammer, languentes corroboret. Vtinam participes simus nos omnium timentium te, & custodientium mandata tua. Timor enim præsens, securitatem habet sempiternam: formido hæc, pacem generat æternam: pauor hic, quietem confert sine carituram. Ergo clementissime Deus, hanc nobis gratiam concede vt hic potius te timeamus, ne, dum turbabitur terra, angustiemur: hic paueamus, ne in die mala pauere ac morere necesse habeamus, sed cum sanctis & electis tuis, te laudare in terra viuentium perpetuò possimus.

Psal. 144.

Psal. 118.

*Cass. super
illud psal.
Dulcis &
rectus Do-
minus.*

Eccl. 2.

Psal. 118.

COENA.



Angelus hoc & homo.

Diuinæ benignitatis in humanum genus immensitas quàm longè latèq; pateat, vel hinc videre licet, quòd panem illum angelorum omne delectamentum in se habentem, preciosi videlicet corporis & sanguinis sui Sacramentum, tradidit homini manducandum: vt tali cibo recreatus, ad currendam viam mandatorù Dei, promptior esset & alacrior. Nouerat ille totius sapientiæ & scientiæ fons, nos pro ea qua sumus per peccatum affecti fragilitate imbecillitateque magnis aduersarij nostri Diaboli viribus, absq; illius ope & auxilio, resistere non posse: itaq; in hoc Sacramèto quod cæterorum omnium finis est & perfectio, nobis ineffabili quodam modo iungi & præsens adesse voluit: qua quidem re non magis suam, quam mutuam etiam inter nos ipsos charitatem nobis voluit commendatam. Nam quod sub panis

potissimum;

potissimum & vini speciebus corpus & sanguinem suum reliquit, ostendere proculdubio voluit, quemadmodum ex multis frumenti granis panis vnus, ex multis vuz racemis vinum conficitur, ita nos per Sacramentum hoc pacis & dilectionis in vnum quoddam mysticum corpus coalescere oportere vt iuxta illud Pauli, vnus panis vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane participamus. Quamobrem pulchre nos admonet Augustinus, vt Carnem Christi non edamus tantum in Sacramento, quod & multi mali faciunt, sed vsq; ad spiritus participationem manducemus, vt in Domini corpore tanquam membra maneamus: vt eius spiritu vegetemur. Quod autem nouum hoc corporis & sanguinis sui sacrificium, nouus sacerdos Christus in vltima cena erat institutus, eius rei in veteri lege vmbra pridem precesserat: cuius rei Diuus quoq; Paulus meminit.

I. Cor. 10

Traict. 27
in Ioannē.

Actor. 7.

At verò Melchisedech Rex salem, proferens panem & vinum (erat enim Sacerdos Dei altissimi) benedixit ei. &c.

Gen. 14.





IN Sacratissimo Eucharistiæ sacramento, quod in vitima cœ-
 na legalibus sacrificijs, tanquam umbra veritas successit, a-
 mor siue charitas in genus humanum Christi saluatoris no-
 bis est consideranda. Moriturus enim in ligno crucis Dñs,
 ne corpus mysticum sine capite esset, nobis in hoc sacramē-
 to ineffabili quodam modo coniungi voluit: cuius præsentia
 peccatum destrueretur, bona spiritualia multiplicarentur,
 & vita æterna nobis conferretur. Rectè igitur cum à vitijs
 sanet, medicina; cùm virtutum dulcedine repleat, manna si-
 ue panis cœlestis; cùm sublimitate gloriæ nos ditet, Eu-
 charistia, id est, bona gratia dicitur. Hunc Christi Saluatoris
 amorem, quo nostræ salutis tam diligenter prospectum volu-
 it semper præ oculis habere, atq; ad eum vicissim amandum

& dili-

& diligendum excitari debemus, memores illius quod ab Augustino scriptum est; ama amorem illius, qui amore tui amoris descendit in uterum virginis, & ibi amorem suum amori tuo copulauit humiliando se, sublimando te, coniungendo lumē suæ æternitatis, limo tuæ mortalitatis. Quam autē ratione Deū amare debeamus, præsentī symbolo indicatur: vbi nō cæcus, non nudus, non lasciuius, qualem veneris filium vana Ethnicorum superstītio fingit, sed sanctus, amictu decenti ornatus, & oculos in cælum defixos habens, Amor Diuinus exprimitur. Ac primum quidem (quoniam tanto quisque, vt scribit Gregorius, à superno amore disiungitur, quāto inferius delectatur) Amor hic diuinus alis sursum fertur, vt si Deum perfectè diligere velimus, animum à terrenis rebus, quāmaximè fieri potest, abstrahamus. Hoc autem assequemur si contemplatione cælestium & spe futurorum bonorum veluti duabus quibusdam alis, ad superna semper eleuati, vel minimas peccatorum occasiones, quibus quasi funiculis quibusdam graue peccati pondus nobis appenditur, ferro discretionis reseceamus, & à nobis proiciamus. Porro vestimenta, quibus qui Deū amant ornari debent, opera sunt bona, quorum decore nos vndiq; tegi conuenit, vt nulla actionum nostrarū, pars per uia peccato relinquatur: quò possit vnusquisq; nostrum cum beato Iob in Domino gloriari. Iustitia indutus sum & vestiui me sicut vestimento. Talibus vestimentis qui indutus non est, amare Deum non potest. Nunquam enim est amor Dei ociosus, inquit Gregorius, operatur magna si est; si autem operari renuerit, amor nō est. Quoniam autem ad excitandum in nobis amorem Diuinū, plurimum sacrorum librorum lectio adfert momenti, hæc pharetra nobis etiam semper est habenda, vt ex illa sagittas, quæ animam penetrent depromere possimus. Legendi Sanctorū Patrum libri: gesta eorum, qui Deo placuerunt, diligenter euoluenda. & ad eorum imitationem omnis vita nostra est componenda. Viuus est sermo Dei & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsq; ad diuisionem

Aug. de
Cai. rad.

Iob. 29.

Hebr. 4.

*Cant. 5.**Ibid. 8.**I. Ion. 4.**Sup. Cant.**Serm. 20.**Eccl. 2.**Moral. l. 7**cap. 10.*

animæ ac spiritus, inquit Paulus. Eiusmodi igitur sagittis siue gladio, ita hominum corda vulnerentur, ut dilectum cum sponsa illa quærentes, amore langueant charitate ardeant: quam aquæ multæ non poterunt extinguere nec flumina obruent illam. Cæterum cum hoc, ut & reliqua omnia, absq; singulari Dei gratia perficere non possimus vultum & oculos in cælum erectos: mentem videlicet per orationem frequentem ad Deum eleuatam habere debemus, ab eoq; supplices orare ut, quod facere præcipit, id nobis ipse largiatur, Amore sui nos inflammet, charitate illuminet. Exaudiet ille nos, si ad eum clamauerimus; aperiet si pulsauerimus; accendet, si ad Sanctissimum hunc ignem, quem pectus frigidum non capit, nos præparauerimus: beneficia quæ generi humano ipse Deus contulit, assiduo memoria repetendo, & qualiter nos adamauerit perpendendo. Diligamus ergo Deum, quoniam Deus prior dilexit nos; amemus, quoniam prior amauit. Dilexit nos Deus, inquit Bernardus, dulciter, sapienter, fortiter, dulciter quia carnem induit; sapienter quia culpam cauit: fortiter quia mortem sustinuit. Discamus igitur & nos Christiani à Christo, quemadmodum diligamus Christum. Discamus amare dulciter, ne illecti, prudenter, ne despecti fortiter ne compressi deficiamus. Dulciter amat, qui omnia terrena, Diuini amore postponit: prudenter amat qui obicem Diuinæ gratiæ peccando non ponit: fortiter amat, qui suauitate amoris Diuini degustata, constanter in diligendo Deum perseuerans, ad illius amorem plurimos trahit. Hæc igitur ratione Deum diligere discamus, & quod nos sapiens monet diligenter exequi studeamus; Qui timetis, inquit, Dominum Diligite illum, & illuminabuntur corda vestra. Diuinam dilectionem per timorem quidem nasci, sed in affectu crescendo permutari, scribit Gregorius. Vbi ergo timente Deum diligere illum; diligentes autem per Sacrosanctæ Eucharistiæ participationem vnum cum illo corpus effici coeperimus; illuminabuntur proculdubio corda nostra & gratiæ Dei claritate ita decorabuntur, ut puritas affectionum, sub

tilita

tilitas intellectuum, desideriorum sanctitas, operum claritas, virtutum omnium fecunditas in nobis fulgeat.

Domine qui his qui te diligunt ea bona præparasti, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt; amorem tuum nobis infunde, vt sæculi amore abiecto, te solum queramus, diligamus, & veneremur. Da vt meditatione spiritualium, doctrina pia, oratione assidua, & exercitio Sancto, semper in nobis amor tuus nutriatur, augeatur, & crescat. Adure corda nostra tuæ charitatis igne, vt præter te nil aliud concupiscant, nil aliud desiderent & ament. Et quoniam in perpetuum pignus amoris, quo in genus humanum suaviter es effusus, Sanctissimum tuum corpus in Eucharistiæ Sacramento nobis reliquisti, concede vt amore tuo vicissim sauciati, frequenter ad hæc sancta mysteria, corde puro, conscientiaq; munda accedamus: quo tali cibo recreati hostes visibiles & inuisibiles à nobis propulsatos, fomitem peccati refrigeratum, maculas cordis mundatas, iram tuam placatam, intellectum illuminatum, voluntatem in tui proximiq; dilectione inflammatam, memoriam spirituali dulcedine repletam, merita vitæ bonæ multiplicata in omni opere bono nos confirmatos, ab æterna morte liberatos, ad patriam vitæ æternæ deductos, & ad sempiternam gloriam in corpore nos resuscitados videre, & te sine fine laudare possimus.

I. Cor. 2.



LOTIO PEDVM.

*Servilia soluit.*

Quod agens ille incontaminatus, speculum sine macula, candor lucis æternæ, & Dñs Maiestatis Christus **J**ESVS, humiliter se ad lauandos teruorum suorum pedes inclinare dignatus est, factum hoc illius quantis abundet mysterijs ostendit Augustinus. Ac primo posuit inquit, vestimenta sua: qui cum in forma Dei esset semetipsum exinanivit. Præcinxit se linteo, qui formam serui accepit. Misit aquam in peluim vnde lauaret pedes discipulorum; qui in terram sanguinem fudit, quo immunditiam dilueret peccatorum. Linteo autem quo erat præcinctus; pedes quos lauerat tetulit, qui carne qua erat indutus, Evangelistarum vestigia cõ-

Ioan. 13.

Tract. 55.

forrauit: & linteo quidem vt se præingeret, posuit vestimēta quæ habebat, vt autem formam serui acciperet, quando semetipsum exinaniuit, non quod habebat deposuit, sed quod non habebat accepit; crucifigendus sanè tuis expoliatus est vestimentis, & mortuus, inuolutus est linteis, & tota eius passio, nostra purgatio est. Per hanc quoq; Apostolorum pedum ablutionem, quandam hominum imperfectionem insinuari Diuus Thomas scribit. Nam quantumcunq; homo sit perfectus, nihilominus tamen magis perfici indiget, & aliquas immunditias contrahit. Sicut enim hominem stantem oportet ad minus terram pedibus contingere, ita quàm diu viuimus in hac vita mortali, quæ rebus terrenis ad sustentationem corporis indiget, ad minus ex parte sensualitatis aliquid contrahimus. Omnes itaq; egemus gratia Dei, quæ nos à peccatis emundet: cum nullus tanta vitæ sanctimonia præditus reperiri possit, quin in pedibus saltem aliquid sordium habeat, iuxta illud Prouerb.

In cap. Io-
an. 13. le-
cti. 2.

*Quis potest dicere mundum est cor meum?
purus sum à peccato.*

Proue. 20.



Ioan. 13.

Quæ verba post ablutos discipulorum suorum pedes, saluator noster, protulit inquit; Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis, non solum ad humilitatem mentisq; puritatem, quæ duo nobis potissimum in hac pedum ablutione voluit commédata, sed ad omnes reliquas virtutes Christiano homine dignas referri possunt. Quæcunq; enim saluator noster dixit & fecit, propter institutioné nostram & dixisse & fecisse credendus est vt videntes scientesq; illa eadem faciamus, & in exemplum trahamus Nemo enim rectè Christianus dicitur, quemadmodum à Sancto Patre quodam scriptum est, nisi qui Christo moribus prout valet, corquatur. Præiuit ille nobis exemplo, doctrina, vitæ innocentia, tolerantia, mansuetudine earumque virtutum expressè nobis, in omnibus actionibus suis, reliquit vestigia, quibus nostri generis hostem superauit, æternamq; nobis salutem peperit; eadem itaq; via gradiamur & nos, si Sathanam vincere Christoq; coniungi veraciter desideramus. Qui enim dicit se in ipso manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Nam cum genus humanum vniuersum post primum parentis lapsum, cæcis quibusdam ignorantie tenebris inuolutum esset, misertus nostri Deus filium suum vnigenitum in terras misit, qui & viam salutis ductoris instar, nobis indicaret, & ne in tam tetra caligine erraremus, totius sanctitatis & iustitiæ lucem velut in nocte lucernam nobis præferret. Rectè itaq; Christus Dominus lucernæ comparatur, qui, cum sit lux vera, & tenebræ in eo nõ sint vllæ, illuminat omnem hominem venienté in hunc mundum. Illuminat autem Fidei, Spei, & Charitatis lumine, vt per fidem eum apprehendamus, per spem ad currendam viam mandatorum eius incitemur, per charitatem ad amandum illum inflammemur: inflammati imitatores Dei simus & ambulemus in dilectione, sicut & Christus dilexit nos. Diligenter itaq; cauendum est omnibus nobis, ne tam socordes, stulti, & ingrati simus, qui præsens lumé admittere & agnoscere nolimus. Si lux est Christus ambulemus dum lucem habe-

mus

Cyp. de 12
abusjonib'

1. Ioan. 2.

Iob. 37.

Ioan. I.

1. Ioan. I.

Ephes. 5.

mus vt ne nos tenebræ cōprehendant. Si via Christus est gradiamur per illam. Nemo enim venit ad patrē, nisi per Chrūm. Si veritas est Chrūs, cognoscamus & recipiamus eam vt permaneat nobiscum, & nobiscum sit in æternum. Si vita Christus est, veniamus ad illum, vt vitam habeamus & non moriamur. Omnia bona mundi, scribit quodam loco Augustinus, Christus contempfit, quæ contēnenda docuit; & omnia mala sustinuit, quæ sustinenda præcepit: vt nec in illis quæreretur fælicitas, nec in istis infœlicitas timeretur. His igitur vestigiis incedam9 & nos, si veri sectatores Christi dici & esse volumus: perferamus quæ pertulit, contēnamus quæ contēpsit. Quod à principe Apostolorū Petro scriptū legimus; Christus passus est pro nobis, vobis relinquēs exemplū, VT SEQVAMINI vestigia eius; id perpetuo mētibus nostris inhære debet. Passus est pro nobis Chrūs; patiamur & nos pro Christo: nulla pericula adire timeam9, quoties pro illius nomine angustias perferēdi nobis datur occasio. Crucifixus est Chrūs, configamur & nos cruci Christi, mēbra & cōcupiscētias nrās mortificātes, & à terrenis ad cœlestia mentes nrās eleuantes. Hoc erit Christi passi vestigia sequi; hoc erit per vitæ præsentis tenebras, Chrō præeūte in luce ambulare: vt sicut & ipse est in luce, societatem habeamus ad inuicem. O verē beara societas, quæ dum in hac vita cum hominibus in Charitate coniungitur, ad Christum etiam ipsum in cælis ad dexteram patris sedentem perringit. Verē beara societas, quæ communioni Sanctorum, qui manentes in mundo vestigia Christi sequuti sunt, consociata, perfectionis gradus conscendere festinat, & quam viam à Christo primum deinde à tot Sautis, Apostolis, Martyribus & Confessoribus tritam videt, eam maxima cum voluptate ingreditur. Hanc itaq; sanctam societatem amplectamur omnes, & nihil durum, nihil graue in hac saluatoris imitatione, nobis esse persuadeam9: cum tot tantaq; Sanctorum virorum exempla quotidie nobis in Ecclesia proponantur: qui licet homines, prout & nos fuerint, nudum tamen Chrūm & ipsi nudi sequi, & ad vitæ illius normā, suas actiones omnes cōponere potuerunt; vt non

Ioan. 8.
Ioann. 12.
Ioan. 14.
2. Ioan. 1.

Ioan. 5.
Aug. de vera relig.

1. Pet. 2.

Galat. 2.

1. Ioan. 1.

1. Cor. 11.

temere Paulus Corinthios monuerit inquiens, imitatores mei estote, sicut & ego Christi.

1. Pet. 2. Tu autem Christe IESU, qui per ministros, pastores & doctores tuos, in Ecclesia tua sancta; nos quotidie de tenebris peccati, in admirabile Sanctitatis & pietatis lumen vocas, aperi quæso mentium nostrarum oculos, ut salubribus illorum monitis acquiescentes, te lumen verum, videant, videntes autem ad currendam mandatorum viam pedes nostros excitent. Da, ut quam similitudinem construendi cælestis tabernaculi nobis in omnibus actionibus tuis ostendisti, eam nos in spiritali ædificio, quod ad cælum usque pertingat, fabricando sequamur. Non solum verbum tuum, & mandata tua, sed etiam omnia gesta, & facta tua, sicut lucerna pedibus nostris, & lumen semitis æternis; ut qua via te ambulasse, & Mundum, Carnem, & Diabolum conculcasse videmus eadem quoque; & nos te ducem nostrum sequuti gradiamur. Perfice gressus nostros in semitis tuis, ut non moueantur vestigia nostra. Utinam Dñe propter verba labiorum tuorum, propter exempla factorum tuorum, nos custodiamus vias, in hoc quidem sæculo duras, per quas te ingressum scimus, sed in futuro latas & planas: vias autem quæ hinc latæ sunt, sed ad æternam angustiam postmodum deducunt, fugiamus: sed quæ infirmitas est nostra, præstare id non poterimus, nisi tu perficias gressus nostros in semitis tuis & gratia tua ita genua nostra infirma corroboret, ut nullis aduersarij machinis, nullis præsentis mundi illecebris moueantur vestigia nostra. Mirifica igitur misericordias tuas, qui saluos facis sperantes in te, & concede ut vestigia tua sequantur pedes nostri, & viam tuam custodiamus, & non declinemus ex ea:

quò sic in iustitia appareamus conspectui tuo,
& satiemur, cum apparuerit
gloria tua.

CONFORTATIO IN HORTO.

*Alieno lassus aratro.*

E T si creator creaturæ suæ præsidio nunquam indiget; confortanti tamen Christo, apparuit Angelus de cælo confortans eum: ut qui factus homo pro nobis contristabatur, is etiã propter nos ab Angelo confortaretur. Sed Ambrosij potius ea de re verba libet apponere. Hærent inquit, pleriq; hoc loco, qui tristitiam Saluatoris ad argumentũ inoliræ potius à principio quam susceptæ ad tempus infirmitatis inclinant. Ego autem non solum excusandum non puto, sed etiam nusquam magis pietatem eius maiestatemq; demiror. Minus enim contulerat mihi, nisi meum suscepisset affectũ. Ergo prome doluit, qui pro se nihil habuit quod doleret, & sequestrata delectatione diuinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis afficitur. Suscepit enim tristitiam meam, ut mihi suam lætitiã largiretur, & vestigijs reuocaret ad vitam. Confidenter tristitiam nomino, quia crucem prædico. Debuit ergo & do-

Lucæ 21.

In comen:
Luc. l. 10.

lorem suscipere, ut vinceret tristitiam non excluderet. Neque enim habent fortitudinis laudem, qui stuporem magis vulnerum tulerint quam dolorē. Nos ergo voluit erudire, quē admodum mortem, & quod est amplius, futuræ mortis mœstitiam vinceremus. Doles ergo Domine, non tua sed mea vulnera, non tuam mortem sed nostram infirmitatem. His itaque Ambrosij verbis, illud Isaiaë rectē subijci potest, qui Christum infirmitates nostras in suo corpore portaturum, aperte prædixit.

Isaia- 53.

Verè languores nostros ipse tulit; & dolores nostros ipse portauit.



Matt. 36.

ET si pluribus in locis Christum Dñum orasse legimus, tamen quæ in horto iam iã in manus impiorum tradendus in hoc genere præstitit, singulare quoddam nobis exhibent documentū, quā ratione nos dum oramus gerere debeamus. Nam quod puillum à discipulis progressus scribitur, optimū orationis condimentum solitudinem esse, nobis in eo demō-

stratum

stratum videtur, quæ tamen non ad corpus magis quàm ad animam quoq; ipsam est referenda. Cùm etenim oratio nil aliud sit, quàm quædam ad Deum locutio curandum est maxime, vt non solum à tumultu multitudinis; si fieri possit corpore nos seiungamus, sed multo magis mentem ipsam à strepitu mundanarum cogitationũ quàm longissimè auocem⁹. Deinde verò quod saluatorem fecisse legimus vt in faciem suam orans proceret, qua creatorem nostrum alloqui debeamus reuerentia docemur. Vel ipso corporis gestu nos admoneri fas est, nobis cum Deo rem esse; cui honor omnis & veneratio est impendenda. In fundendis autem precibus scop⁹ hic nobis propositus esto; vt non nostræ sed Diuinæ voluntati, ea quæ à Deo impetrata cupimus, permittamus: cùm idem quoq; Christum fecisse videamus, qui non sicut ipse, sed sicut Pater veller, à se passionis calicē transire postulauit. Ter autē repetita oratio, sine intermissione nos orare debere, videtur indicare. Frequentanda est assiduè hæc pia mentis exercitatio quæ & animæ maximum præsidium, & angelo bono solatium, Diabolo supplicium, Deo autem gratissimum obsequium & sacrificiũ præstat: Vnde & incensi siue thuris; nomine in sacris litteris frequenter intelligitur. Dauidem in Psalmis orantem legimus, *DIRIGATUR oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: eleuatio manuum nostrarum sacrificium vespertinum.* Dirigatur oratio nostra sicut incensum in conspectu Domini, quando de corde sincero profecta, & carbone contritionis adusta, sursum absq; voluntaria distractione fertur, & veluti fidelis Nuncius mandata peragit, eoq; penetrat, quò caro peruenire non potest. Eleuatio manuum nostrarum fit sacrificiũ vespertinum; quando duab⁹ alis, quæ sunt (vt scribit Augustinus) ignoscere delinquenti, & dare egenti, orationes nostræ ad Deũ euolâtes, illũ nobis ppitium reddunt. Hoc igitur sacrificiũ, quoties in nobis deuotio vesperascit offerre Deo studeamus; vt ad orationem veluti ad sacrã quandã anchoram confugiẽtes, proximo primũ delicta ignoscamus vt securè Dño dicere possim⁹. *Dimittite nobis debita nrã, sicut & nos dimittim⁹ debitorib⁹ nostris*

Psal. 110.

*In Sermo
Quadrag.*

Matth.

Ac inde verò egenis tâto nos liberaliores exhibeamus. quâtò
 plura nobis à Deo, siue quæ ad animam, siue quæ ad vitam
 præsentem pertinent, conferri bona desideramus. His dua-
 bus alis, quæ ex charitate sunt compositæ nostra oratio ad-
 iuta, ascendet & dirigetur tanquam incensum, quod sursum
 ferri consuevit, in conspectu Domini: exaudiet nos & peti-
 tiones cordis nostri dabit. **Qu**anquam sicubi nos non illicò
 audit; animo consternato esse propterea non debemus. **Q**uod
 differt, non aufert. Verax enim est in omnibus promissis
 qui dixit; **P**etite & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pul-
 sate & aperietur vobis. Si tamen ad tempus etiam au-
 fert nostro id commodo fieri, nobis persuadeamus. **M**edicus
 enim noster est. Scit quæ data nobis ægrotantibus obesse,
 quæ non concessa nobis prodesse possint. **Q**uamobrem **D**iui-
 næ voluntati acquiescentes, eam conditionē in orando sem-
 per interponere meminerimus, vt si cum animæ nostræ salu-
 te coniunctum id esse Deus nouerit, id quod petimus nobis
 concedat; sin minus, in hac vita neget, vt in futura copiosius
 tribuat. **P**rudencia igitur sanè maxima hîc requiritur, ne si
 quid, quod minimè oportet postulauerimus, cum matre fili-
 orum **Z**ebedæi repulsam patiamur, & illud audiamus; **N**e-
 scitis quid petatis. **N**escimus enim reuera quid petamus, dū
 temporalia tantum commoda spectantes, diuitias, honores,
 & id genus alia, quibus plerumq; in animæ detrimentum
 vrimum, impetrata cupimus; ne minimum quid de regno Dei
 & animæ nostræ salute fiat, solliciti. **P**rimum quæramus **R**e-
 gnum Dei & **I**ustitiam eius, & quæ sunt æternæ salutis pro-
 curemus, à Dominoq; nobis dari petamus; **C**ætera autē hæc
 quæ ad sustentationem corporis pertinent, ita nobis adijci-
 entur, prout nobis expedire iudicabit ille, qui melius quàm
 nos ipsi, nouit quibus opus habeamus. **D**omine qui **S**alomo-
 ni non diuitias, non substantiam & gloriam, non animas e-
 orum qui ipsum oderant, non dies vitæ plurimos, sed sapi-
 entiam & scientiam petenti; plurima sapientiæ & scientiæ do-
 na contulisti; diuitias etiam & substantiam & gloriam, licet

Matth. 7

Matth. 20

Luc. 12.

2. Par. 1.

nihil minus postularer, eidem plena manu tribuisti; hunc nobis gratiæ tuæ spiritum concede, ut in orationibus nostris, illa tantum abs te flagitemus, quæ ad animam spiritualibus diuitijs locupletandam, gloriam tuam propagandam, & pacem Ecclesiæ tuæ conseruandam pertinere videbuntur. Da ut semper oremus & non deficiamus: oremus autem in vera cordis humilitate, pura spiritus deuotione, vigilanti mentis intentione, immota fidei constantia, perfecta spei fiducia, ardenti charitatis seruore. Effunde super habitatores istius Hierusalem, quæ in terris sub Christo eiusque; visibili Vicario militat, spiritum gratiæ & precum; ut aspiciat ad te quem peccatis suis sæpius confixerunt, & plangent quod te offenderunt orent etiam & presentur à te delictis suis veniam. Oculi tui sint super eos, & aures tuæ in preces eorum. Noli quæso opponere nubem ne transeat oratio; sed da ut veniat ad te petitio nostra, & quod expectamus tribuas nobis Deus. Ascendat fumus aromatum; intret postulatio nostra in conspectu tuo; ut quam nobis vnigenitus filius tuus Dominus noster orandi formulam præscripsit, ea ad impetranda gratiæ tuæ munera ita utamur, ut desideriorum nostrorum; si cum animæ nostræ salute coniuncta fuerint, compotes facti; ab omni malo liberari, & æternæ beatitudinis dulcedine perfrui mereamur.

*Luc. 18.**Zach. 12.**Psal. 33.**Tren. 33.**Iob. 6.**Psal. 118.*

IVDÆORVM CASVS.



Quis obviam ausit ire.

Psa. 67.

Ioan. 18.

Quod à Davide pridem de Dño scriptum legimus; Ecce dabit voci suæ vocem virtutis; id cum alibi tum eo potissimum tempore adimpletū fuisse liquet, quo ad vnius vocis emissionem, armata Iudæorū cohors, quasi fulmine quodam

tracta

facta retro cecidit: in quo & magnam Iudæorum cæcitatem, & admirabilem Saluatoris nostri potentiã nobis licet considerare. Et cæcitas quidem Iudæorum tanta fuit, quod nec Christi omnipotentiam agnoscere, nec à nefario suo proposito desistere, post lapsum suum potuerunt, futurum procul dubiò ostendentes, populum Iudaicum, vocẽ Christi in prædicatione non audientem, abiturum retrorsum, & à Regno cœlorũ exclusum iri. Potentiã vero & maiestatem Saluatoris pulchrè describit Gregorius. Vocẽ inquit solúmodò mitiffimæ responsionis edidit; & armatos persecutores suos proterius in terrã strauit. Quid ergo facturus est, cùm iudicaturus venerit, qui in vna voce hostes suos perculit etiã cùm iudicandus venit? Quod est illud iudiciũ quod immortalis exercuerit qui in vna voce, ferri moriturus non potuit? Quis enim iram toleret, cuius & ipsa nõ potuit mansuetudo tolerari? Ex his & similibus videre est, Chrũm pro redemptione generis humani spõre corpus suum quibusuis supplicijs obiecitisse, quẽ admodum illum facturum Esaias prædixerat.

Oblatus est quia ipse voluit.

Mora. l. 17
cap 19.

Isaie. 53.



Quod ad resipiscenciam Diuina bonitas semper homines inuitet; etiam sub illud ipsum tempus Christus Dñs demonstrasse videtur, quo armatae iudæorum cohorti, quæ ad comprehendendum illum venerat, verbo virtutis suæ tantum terrorem incussit, vt retrorsum abire & in terram cadere coacta fuerit. Volebat nimirum verus hic animarum medicus, hac plaga illata cæcitatem perditorum hominum sanare, & ad agnitionem erroris, iustumq; pro tanta audacia dolorem concipiendum mentes illorum pertrahere: cui quoniam parere recusarunt, nullus est qui summam hæc illorum amentiam & temeritatem non detestetur. Quod ergo damnamus in illis, hoc vt ne ipsi admittamus, omni cura prouidendum nobis est. Admonemur enim & occulta quadam voce ad resipiscenciam vocamur & nos; quoties in hac præfenti vita, vel corporis vel fortunæ incõmodis affligi, & quasi in terram nos cadere Deus permittit: vt eorum bonorum, quæ velut umbra prætereunt, inconstantiam & varietatem considerantes, ad illa quæ omni fælicitate abundant, æternaq; sunt, aspiremus; peccata admissa desicemus; & ne ad eadẽ illa quasi postliminio reuertamur, sedulo caueamus. Huic igitur Diuinæ voci vbi non obtemperamus, & sicut canis qui reuertitur ad vomitum suũ, imprudentes stultitiam nostram iteramus; non modò Iudæis istis qui cadentes retrorsum nec vocem Christi audire, nec à nefario pposito desistere vouerunt, sed illis quoq; qui turrim Babel ædificabant similes esse videmur. Quid enim aliud est facere turrim cuius culmẽ pertingat ad cœlum, quam peccata peccatis addendo in Babylonica quadam confusione versari, & contra Diuinã voluntatem veniendo, vanam sibi securitatem polliceri, diuitiasq; bonitatis, patientiæ, & longaminitatis Dei contēnere? Hanc turrim qui ædificat, non alius illum manet exitus, quã vel in hoc vel in futuro sæculo grauis Dei vindicta atq; indignatio: in quam cum nos sapiens incurrere nollit, prudẽter admodum à peccatis ad resipiscenciam nos vocat, inquiring; *Fili peccasti? NON ADICIAS iterũ: sed & de pristinis*

deprecare

Ioan. 18.

Proue. 27

Gen. 11

Rom. 1.

Eccl. 21.

deprecare vt tibi dimittantur. Eius itaq; monitis ac quiescentes, quàm turrim vitiorum, contra Deum illiusq; legem ex inordinatæ nostræ voluntatis lateribus, fabricare quodammodo in dies videmur, ad eam altius erigendam, ne Deum ad vlciscendum prouocet, animum non adijciamus, sed de pristinis potiùs erroribus, vt nobis dimittantur Deum deprecemur. Atq; vtinam faciant idem quoq; illi, qui hoc infelici sæculo nostro celebrare nomen suum volentes Hæreticorum opinionum auctores, & plusquam Babylonicæ confusionis architecti extiterunt. Vtinam aliquando resipiscant, & voce Christi, ad quem blasphemandum, iterumq; crucifigendum mentes impias adiecisse videntur, admoniti, à scelerato proposito resiliant: ad Cathedram vnitatis, in qua posuit Deus doctrinam veritatis, redeant: displiceantq; sibi metipsis super malis quæ fecerunt in vniuersis abominationibus suis. Nulla enim maior abominatio, & quæ Deum vltorem magis exposcat, cogitari potest; quam si quis fornicetur in adinventionibus suis, & loco Christi in Bethleem nati, vel Islebiensem vel Geneuensem Antichristum adoret. Fugiēda sunt hæc idola omnibus, qui à perpetua confusione cæcitateq; liberi esse volunt quærenda est terra vnius labij & sermonum eorūdem, sancta videlicet, Catholica, Apostolica, Romana Ecclesia: in qua idem dicunt, idem sapiunt, & sentiunt omnes: vbi multitudinis credentiū est cor vnum & anima vna. Quamobrem & Hæretici qui prauis opinionibus adhærendo, & Christiani qui malè viuendo Babylona ædificant, non adijciant amplius vt peccent. Auolent quasi auis ex Ægypto, & quasi columba de terra Assyriorum: illi de tenebris Hæreses, hi autem è terrenarum cupiditatū affectionibus. Et collocentur in domibus suis: illi in vna Sancta Catholica Ecclesia à qua veluti peregrinus à domo sua, longissimè aberrarūt: hi autem in puritate conscientiæ, quæ illos tam ab ijs qui videntur, quam ab illis qui sub aspectum non cadunt, hostibus tutos reddere potest. Consurgamus igitur qui in vitijs sepulti iacuimus, consurgamus autem diluculo. Compunctio-

Ezech, 6.

Osc, II:

1. Mor.
cap. 19.

Psal. 48.


Ioan. 3.

2. Pet. 2.

nis vt scribit Gregorius, luce perfusi, humanitatis nostræ noctem deseramus, & ad veri luminis radios, mentis oculos aperiamus. Ne simus Judæis nec videre nec audire volentibus, similes; sed audiamus quid loquatur in nobis dominus, quia loquitur pacem in plebem suam. Et super sanctos suos, & in eos, qui conuertuntur ad eor, qui licet in peccatis fuerint, per salutarem tamen pœnitentiam ad Dn̄m conuersi, sicut antea inimici Dei, ita postea amici effecti, pacis & charitatis cum illo vinculis colligantur,

Domine qui vidisti opera Niniuitarum, quia conuersi fuerant de via sua mala, & miserus es super malicia, quam locutus fueras, vt faceres eis, & non fecisti: da vt & nos immanitatem peccatorum perpendentes, conuertamur à vita nostra mala, & ab iniquitate quæ est in manibus nostris; seruiamus autem tibi in sanctitate & Iustitia omnibus diebus vitæ nostræ. Vtinam vocem visitationis tuæ audientes, dum nos in tribulationes & angustias cadere permittis, de peccatis propulsandis; quorum causa mala hæc nobis plerunq; eueniunt, cogitationem seriam suscipiamus, Babylonem peccātes non ædificemus, animæ vulnera post curationem non renouemus, sordibus post lotionem nō inquinemur, vitijs post veniam non abundemus. Scimus Domine melius esse non cognoscere viam iustitiæ quam post agnitionem retrorsum conuerti, ab eo quod traditum est sancto mandato. Concede igitur nobis, vt dum refugere coinquinationes mundi in cognitione Domini & Saluatoris nostri IESV Christi incipimus, his rursus implicati ne superemur: ne nobis posteriora deteriora prioribus fiant: sed potius præscientes lubricas vitæ istius vias, & nomen tuum sanctum inuocantes, diligenter nosmetipsos custodiamus, ne insipientium more à rectitudine fidei vitæq; innocentiam quã deslectamus & excidamus.

IVDÆ OSCVLVM.

*Ad utrunq; peritus.*

Iudas Ischariotes (qui ait Ambrosius, seruus dominum, discipulus prodens Magistrum amoris pignore vulnus inflixit, charitatis officio sanguinem fudit, pacis instrumento mortem irrogauit) graue nobis suppeditat exemplū, ne quini-
nimium de statu suo confidat; sed cum via hæc & peregrinatio nostra adeo sit lubrica, vt ea ingredi absq; casu & prolapsione vix quisquam possit, cum timore potius & tremore salutem suam operetur, memor illius quod scriptum est; **Qui stat, videat ne cadat.** Subinde nobis in memoriam Iudas hic redeat, qui licet in hæc celsissimam dignitatis atq; honoris sedem ascendisset, vt inter Apostolos locū haberet; tantū tamē sceleris fecit, quo magis truculentum & detestabile cogitari non potest, vt Dñum suū in manus peccatorū nefariē traderet. Vtinā autem hoc nostro infelici seculo, plures quā velle-
mus, Iudæ similes nō reperirentur. Sed quam recte per Iudā quosuis Hæreticos posse intelligi olim scripserit Origenes magno cū multarū animarū periculo, quotidianis docemur exemplis. Hi sunt qui osculo tradunt filiū hominis; qui dum

*Coment.
in Luc. l. 10*

I. Cor. 10

*Homi. 35
in Matth.*

miris verborum lenocinijs & Specioso verbi Dei pietatiſq; titulo, peſtiferum ſuum dogma contegunt, aliud corde clauſum, aliud ore promptum habentes, ſanctiſſimumq; Chriſti nomē, malitioſe criminoforum hominum ingenijs exponūt blaſphemandum: & non minus Iudæ, quàm meretrici illi, ad decipiendas animas præparatæ, apprehenſumq; iuuenem deoſculanti, ſe oſtendunt perſimiles, quando verbis ad blanditiã compositis, animos ſimpliciorum in errorem pertrahunt. vt Corpus Chriſti Eccleſiam lacerent & diſtrahant, omnibus modis contendunt & elaborant, verbis quidem Deum honorantes & Iudaicum illud Rabbi ſemper in ore habentes, corde autem negantes: vt quod ab Hieremia ſcriptū eſt, non magis in Iudam quam in eos quadrare videatur;

Proue. 7.

Hiere. 9.

Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta eſt; in ore ſuo pacem cū amico ſuo loquitur, & occultè ponit ei inſidias.



Infigne fuit illud mansuetudinis nostri Saluatoris exemplum, quod Iudam osculo se tradentem, amici nomine cōpellare dedignatus non est, insignis fuit & Iudæ improbitas, qui, qua virtute ferocissimorum quorumq̃; hominum corda vel maximè molliuntur, ea se frangi minime passus fuerit. Quemadmodum igitur hanc Iudæ improbitatem detestari & fugere, ita singularem Saluatoris modestiam admirari atque imitari debemus; vt & ipsi aduersus eos, qui nos quocūque tandem modo offendunt submissè nos & mansuete geramus. Hac enim potissimum ratione etiā ferocissimi quicq̃; (nisi forte ipsum proditorem Iudam duritia & impietate superare videri velint) domantur: & charitatis vis vberius in nobis crescit & diffunditur, si eos à quibus lædimur, non solum non lædamus; sed beneuolētia insuper non vulgari prosequamur. Mansuetudo itaq̃; Magneti similis esse videtur, vt ferrum ipsum ad se attrahat; Attrahit enim reuera, qui mitis est & mansuerus ad se, ferrea hominum corda, quodq̃; potētia feritate nequit; hoc humilitas lenitate sua perficere non raro solet; vt quod à Propheta scriptum est; Mansueti autem hæreditabunt terram non magis de cælesti gloria, quæ terra viuentium est, quam de hac quocq̃; quam pedibus nostris calcamus terra possit intelligi. Quanta fuerit olim Ethnicorum Principum potentia; nullus est qui nesciat, ea tamen mansuetudine sua, persecutiones perferendo, superbix humilitatem opponendo, post effusum prius Christi sanguinē, sancti martyres & electi Dei ita debellarunt; vt Euangelij suaue iugum suscipiens, hæreditas illius, qui mites; hæreditaturos terram non frustra promiserat, tandem sit effecta. Non ergo temere Apostolus magistri sui doctrinam sequitur; Benedicere persequentibus nos, humilibus consentire, nulli malum pro malo reddere, sed potius vincere **IN BONO MALVM** nos iubet. Sciebat in obsequium Christi seruitutis, gentes quæ Deum non nouerant, hac ratione Magnetis instar ferrum attrahentis, posse perducī. Eius nos admonitionem, Christi verò sanctorumq̃; ipsius exemplum sequuti,

Psal. 63.

Matth. 5

Rom. 12.

Ephes. 4.

In glo. sup.
Mat 5 Be-
ati mittes

Rom. 12.

Deut. 32

Prou. 25.

2. Tim. 2.

Psal. 36.

ad modestiam Christianis hominibus dignã, ita mentes nr̄as componere studeamus; vt dignè ambulemus vocatione, qua vocati sumus, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia supportantes nos inuicem in charitate. Mansuetus siue mitis est, scribit quodam in loco Hieronymus, quem nõ rancor vel ira afficit, sed omnia æquanimiter sustinet, non irritat, nec irritatur, non nocet, nec nocere cogitat. Sustineamus igitur æquanimiter omnia, quæ nobis non sine graui iniuria nostra ab alijs irrogantur. Vltionis cupiditatem omnem ex animis nostris euellentes, non nosmetipfos defendamus, sed demus locum iræ. Scriptum est etenim; Mihi vindictam ego retribuam dicit Dominus. Nemini, etiamsi maximè possimus, noceamus; cum hoc non minorem apud Deum gratiam, quàm apud homines laudem & gloriam conciliare soleat. Si esturierit inimicus tuus ciba illum, inquit sapiens: Si sitierit da illi aquam bibere. Prunas enim congregabis super caput eius & Dominus reddet tibi. Nihil ad expugnandos inimicorum animos æquè valet, ac ipsa beneficentia. Egregiè nos inimicos nostros vltos arbitrari possumus, si de illis, charitatis seruore incitati, quàm optimè mereamur. Congeremus carbones ignis super capita eorum; vt ardorem siue conscientiæ morsus sustinere non valentes, ipsi se beneficijs nostris obrutos, vltro fateri, & errorem suum agnoscen-
tes, mansuetudinem patientiamq; nostram necessariò collaudare cogantur. Qua vna re nihil ad veram gloriam magis illustre, nihil ad Diuinam gratiam consequendam magis vtile necessariumq; nobis accidere potest. His igitur armis contra falsorum fratrum machinationes muniti, vt seruos Domini facere par est, non litigemus, sed mansueti simus ad omnes. Ita enim hæreditabimus terrã illam ad quam in hoc misero vitæ istius exilio constituti, aspiramus omnes: ita delectabimur in multitudine pacis, vt non solum pace cum Deo, conscientia nostra ac proximo, in hac peregrinatione vtamur; sed & in patria quoq; cœlesti, eadem quin multò potius beatiore absq; vlllo fine perfruamur.

Domine

Domine qui deludis illufores, & mafueris das gratiam, impatientiæ vitium longè fac à nobis, ne nos ira ad vindictâ-
 furor ad peccatum propellat. Da vt ne quæramus vltionem,
 nec memores fimus iniuriæ ciuium noftrorum, fed eos tan-
 quam amicos diligentes, quafcunq; ab illis iniurias accipi-
 mus, eas peccata noftra promeruiſſe agnoſcamus, tibiq; pro
 omnibus gratias agamus. Da vt in maſuetudine ſeruemus
 animas noftras, & demus illis honorem ſecundum meritum
 illarum. Honor animarum noftrarum maior eſſe non poteſt,
 quàm ſi obedientia, tolerantia, humilitate, modeltia, lenita-
 te maſuetudineq; commendetur. Hæc illarum hone-
 ſtas, hoc decus eſt incomparabile. His igitur dotibus ſi ho-
 neſtatæ fuerint, quæſo, vt ne eas dehoneſtemus: ſi fuerint,
 ita ornatæ, vt ne eas ſpoliemus: Sed decoratas & ornatas, ita
 conſeruemus, vt maſueti illi, quos iam in hæreditatem il-
 lam terræ viuentium intromiſiſti, audiant hæc
 magna quæ tu feciſti nobis, & lætē-
 tur in te Domine.

Prou. 3.

Leuit. 18

Eccle. 10.

Pſal. 33.



TESTIMONIA FALSA.



Vis nescia vinci.

Quod ab Ethnico quodam scriptum legimus: veritas in omnem partem sui eadem est: tenue est mendaciū: per lucet si diligentius inspexeris; id longè verissimum esse falsa testimonia, contra Christum producta manifestè comprobât. Perlucebat sanè magnum & impudens mendacium, in falsorum illorum testium, quos principes sacerdotum subornauerant, testimonijs: Veritas autè ipsa **CHRISTVS IESVS** utpote solida, grauis, & robusta petra, nullis aduersariorum machinis licet graniter oppugnaretur, labefactari potuit. **Qui autem falsorum testium nomine designentur, non obscure indicat Hieronymus; Falsus testis est, inquit, qui non eodem sensu dicta intelligit, quo dicuntur. Saluator dixerat: Soluite templum hoc: isti commutant & aiunt. Possunt de-**

struere

*Seneca E-
pist. 18.*

Matth. 26

*In cap. 26
Matth.*

struere templum Dei. Vos, inquit, soluite non ego, quia illicitum est, vt ipsi nobis inferamus manus : deinde illi vertūt, & post triduum reædificare illud, vt propriè de templo Iudaico dixisse videatur. Dn̄s autem vt ostenderet animale & spirans templum dixerat, & ego in triduo suscitabo illud. Aliud est ædificare aliud suscitare. Quod itaq; falsos illos testes olim fecisse scribit Hieronymus, vt verba Saluatoris in aliam, quam dixerat partem torquerent: id hodie quoq; facere videntur nostri temporis Hæretici : qui cū moris habeant, (vt auctor Commentariorum in Marcum Hieronymo adscriptorum testis est) vmbra de veritate trahere; scripturarum verba ad peruersum doctrinæ suæ sensum accommodant, eaq; mutant, vertunt, peruertunt, & deprauant: vt confictis ad placitum suum testimonijs, veritati mendacium infligere, Ecclesiæ errorem temerè obijcere tanto securiùs possint. Testimoniorum falsorum typus in duobus illis filiis Diaboli qui Nabal falsò accusarunt, præcessit;

In Cap.
Mar. 14.

Submittite duos viros filios Belial contra eum, & falsum testimonium dicant, Benedixit Deum & Regem &c.

3. Reg. 12.





Christus Dñs cū ipsa sit veritas, eandem in omni doctrina sua ita retinuit, in dictis ita conseruauit, vt quas illi Diuinæ & humanæ legis violatæ suspiciones per summū scelus affingerent Iudæi, licet vndiq; falsa testimonia conquirerent, eas nullo negotio à se dimoueret: instruere nos volēs, quicquid tandem Sathanas cū membris suis contra nos molliatur, nihil illum perfecturum, si à veritate nō recesserim9, illudq; sedulo procurauerimus, vt ne aliud corde gerendo, aliud ore proferendo, Diaboli qui mendacij pater est, membra simus. Quam igitur in omnibus actionibus nostris à nobis synceritatem exigit, eandem & in loquendo puritatem Deus requirit, vt cor nostrum cum ore consentiat, & idem foris lingua concrepet, quod intus cor occultat. Hoc itaq; synceritatis symbolū effingentes os cordi inseruimus, vt ita se Christianus ore veritatem proferre debere intelligat; quē admodum cordis ipsius intima, optimæq; mentis conscientia illi dicat. Quoniam autem huc pertinere videntur illa Saluatoris verba quæ in Euangelio posita ab Apostolo legimus

Matth. 5.
Iacob. 3.

repetita, sit sermo vester EST EST: NON NON, ideò manum apertã quæ affirmationis & contractã quæ negationis vim exprimeret, symbolo adiúximus. In duobꝫ etenim his omnia esse posita videntur, vt ad rei veritatẽ demonstrandã vel quæ neganda sunt, negemus; vel quæ asserenda sunt, affirmemus: nihil est tertiũ. Quod enim his duobꝫ abũdantiꝫ est, à malo esse Chrús Dñus ait. Quod cũm ita sit, maximè curandum nobis est, vt vbi fides nrã requiritur, ibi altero horũ vtamur, & AVT EST AVT NON liberè pronunciemus; memores illius quod ille tantum habitabit in tabernaculo Dñi & requiescet in môte sancto eius, qui ingreditur sine macula, loquitur veritatẽ in corde suo, nec agit dolũ in lingua sua. Vx sèpitemnũ denũciatur his, qui duplici corde sunt, & labijs scelerstis, & manibus malefacientibus, & peccatori ingredienti duabus vijs. Nulla sanè res maiorẽ perneciẽ attulisse videtur terris illis, vbi ab vnitãte Catholice Ecclesie, facta est discessio, quã hæc cordis & lingue discrepantia. Nisi enim viri duplices animo, inconstantes in omnibꝫ vijs suis fuissent, ad eam fidei diuersitatẽ, quam nunc maximo cum dolore plerisq; in locis esse videmus, ventum non esset: qui dum duobꝫ in sellis (quod est in prouerbio) sedere, & Chrũm cum Antichristo, vel Islebienti vel Geneuensi simul se colere posse persuasum haberent, ad horrendam quandã idololatriã multos homines pertraxerunt. Quantò rectius fecissent illi, si vel frigidi essent aut calidi. Sed quia tepidi sunt, & nec frigidi, nec calidi, incipiet eos euomere ex ore suo Dominus: vt partem cum electis ipsius habere nequaquã possint, quãdoquidẽ & ipsi Christum negasse & alijs ad errorem viã cum primis amplam patefecisse videntur, cuius hucusq; finis inueniri potest null. Quẽadmodũ igitur in religione ita & in omnibus reliquis actionibus nris diligenter cauẽdũ est, ne clarissimã veritatis lucẽ ista cordis & oris diuersitate, veluti nebula quadã inuoluamus. Sit sermo noster est, est: nõ, nõ: quodque Hieronymũ Gelantiã monuisse legimus, id nobis quoq; dictũ arbitremur. Tãtus in nobis sit veritatis amor, quod quicquid

Matth. 5.

Psal. 14.

Eccle. 2.

Iacob. 1.

Apoc. 3.

*Zach. 8.**Prou. 12.*

dixerimus, id iuratum esse putemus: ne in nos vlla veritatis aliqua mendacij nota cõtaminatæ suspicio, cadere possit. Loquamur veritatem vnusquisq; cum proximo suo, cum veritate pacẽ diligamus: illud semper præ oculis habentes, quod in libro Prouerbiorum scriptum videmus; Abominatio est Domino labia mendacia. qui autem fideliter agunt, placent ei. Fideliter illi videntur agere: qui nullo timore humano deterreri possunt, quominus veritatem loquantur: & quod ad cultum Dei siue propagandum siue diminuendum, ad ædificationemq; proximi pertinere vident, id prout in animo habent, liberè proferunt. Tales qui sunt Domino placent; Qui verò aliud cogitat & aliud loquuntur, aliter; quàm sentiunt ipsi, propter sua commoda verba ad decipiendos animos accommodata proferunt, eisq; proximo, quin & Deo ipsi illudunt; eos merito abominatur Dñs, & suo tempore, graues de illis pœnas sumet, iuxta illud quod à Dauide, de tali hominum genere scriptum est; Odisti omnes qui operantur iniquitatem; perdes omnes qui loquuntur mendacium.

*Psal. 5.**Eccl. 2.**Psal. 11.**Eccl. 118.**Eccl. 37.*

Domine qui protector es omnibus exquirentibus te in veritate disperdes autem labia dolosa & linguam magniloquam, ne auferas de ore nostro verbũ veritatis vsquequaq; quia in iudicijs tuis supersperauimus. Ante omnia opera verbum verax præcedat nos, & ante omnem actum consiliũ stabile, & quæ cogitamus ea dum postulat necessitas, non in labijs dolosis, sed in veritate ad tui nominis gloriam, proximi ædificationem nostramq; vtilitatem loquamur. Cor duplex & spiritum mendacij aufer à nobis, vt tibi qui veritas es adhærentes, Sathanam mendacij auctorem vincamus, insultantium nobis & calumniantium nos imperus, in patientia & veritatis assertionem superemus. Ne permittas clementissime Deus, vt pro buccella panis deseramus veritatem carnalibus desiderijs à Regia via abducti: sed emitte porius lucem tuam & veritatem tuam, vt ipsa nos per tenebricosas istius vitæ vias deducant & adducant in montem sanctum tuum & in tabernacula tua. Nec enim absq; tuo lumine & gratia,

*Proue. 28.**Psal. 42.*

lumen veritatis comprehendere possumus. Da ergo vñ & in nobis. nosmetipfos diiudicando, cogitationibusq; sermones coræ quando, & in proximis, eorum malis compatiendo, eosq; in vero charitatis affectu, humiliter absq; simulationis alicuius labe admonendo, veritatem ipsam inquiremus; inquirentes autem illam, non minuamur omni bono; sed tecu perpetuò gaudere atq; lætari valeamus,

PERCVSSIO.



Vsq; adeo furor insanit.

CUm gravitatem illam verborum, quibus se filium Dei Christum Dñus asserbat, impia Iudzorum factio diutius sustinere non posset: ad id confugit, quod commune multis esse solet, qui veritatis aciem perferre non volentes ad arma & cædes illico profiliunt. Quamobrem ut ait Evangelista, in venerandam Christi faciem conspuere, colaphis eum cædere & palmas in faciem eius dare, cœperunt Iudæi, ut hoc nefario facto suo, non defuturos homines impios ostenderent;

Matt. 26

qui non tã in terris commorantem, quã (quod multò sceler est atrocius) in cælis Christum regnantem, modis indignissimis erant tractaturi. Nam qui præsentiam gratiæ Dei respiciunt, Diuinos institutus contemnentes, & in cœpta impietate perseverantes, ij quodãmodo in faciem saluatoris expuere censendi sunt. Homines verò sensu carnis suæ inflati, qui cõmoda & honores suos Diuino honori & Ecclesiasticæ utilitati anteponunt, colaphis Christũ cadere videntur. Gentiles porrò & Iudæi, qui perfidia cæcati Christum in terras venisse negant, & memoriam illius omnem exterminare conantur, ij sunt qui palmas in faciem dant, & gloriam maiestatis Christi omnẽ cupiunt obscuratam. Passurum autem Christũ indignissima quæq; à Iudæis, Isaias vaticinatus est: qui in saluatoris eiusdem persona loquitur;

Isaia 20.

Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus.



Venerandam illā Christi Saluatoris faciem, in quā Angeli prospicere desiderant, cum à Iudæis consputam anima fidelis audit, maximum sanè dolorē concipere debet, quod pro peccatis mūdi tam indigna filius Dei perpeffus sit. Si tamen & illud quod ab Augustino legimus annotatum, considerauerit, ad dolorem primum non mediocis accessio est futura. Expuere siquidem in faciem Christi nunc quoq; scribit illos, qui præsentiam gratiæ eius respuunt & contemnant: quorum vtinam ne tam copiosus esset numerus, qualē hoc sæculo reperire licet. Nō obscura sunt ea præsentix Diuinæ gratiæ indicia, dum ad pietatem vel à verbi Dei præconibus erudimur, vel à proximo admonemur, vel quodam etiam occulto instinctu incitatur. Quibus rebus si ad rectē faciendū non commouemur, & in peccatis nihilominus persistimus, filiū Dei conspuere & conculcare, sanguinem testamenti pollutū ducere, & spiritui gratiæ contumeliam facere videmur. Quod quanto scelus est grauius, tanto grauioribus supplicijs illud Deus punire consueuit. Hæc igitur si volumus effugere, ad gratiam Diuinam acceptandā, ita nos ipsius inuocato auxilio præparare debemus, vt primum mūdi istius voluptates, tanquam vanas & momentaneas contēnamus; deinde verò ad deuotam Diuinæ voluntatis meditationem mentem omnem conuertamus, postremò seruens Diuinæ charitatis desiderium beneficiorū nostro generi collatorū recordatione in nobis excitare contendamus. Tria hæc ad acquirenda Diuinæ gratiæ munera ita conducāt, vt impossibile sit Deū qui & summa bonitas est & veritas, ijs nolle misereri, qui eum tali animo cordeq; requirunt. Dabit illis spiritualiū diuitiarū abundantiam, vt ad curanda animæ vulnera manus admoueat, quæ bona sunt illa tota mente concupiscant, concupiscentes eadem faciant, facientes in bono perseverēt, perseverantes autē ad æternam gloriam perueniāt. Ad hos igitur Diuinæ bonitatis thesauros percipiēdos tanto maiore animi cōtētionē ferri debemus, quāto huius mūdi

*De Quæst.
Euang. l. 1
cap. 44.*

Hebr. 10.

Eccl. 5. 1.

Eccl. 5. 1.

Actor. 8.

Isaie 53.

Rom. 8.

Psal. 45.

2. Cor. 9.

diuitijs, illos antecellere videmus. Quod sapientem illum fecisse legimus, faciamus & nos; Manus nostras extendamus in altum, suppliciter à Deo petentes, vt ne gratia sua nos velit destitutos, sed in sapientia sua lucere faciat animas nostras & ignorantias nostras illuminet: quod si obtinuerimus bonam possidebimus possessionem, quam à nobis nullus auferre poterit: ad cuius desiderium, illis videmur sapientis verbis excitari, cum inquit; Comparate vobis *SINE ARGENTO*, & collum vestrum subijcite iugo, & suscipiat anima vestra disciplinam, in proximo est enim inuenire eam. Sine argento sapientia & reliqua gratiarum munera comparantur. Donum enim Dei pecunia non possidetur, cum æque pauperi ac diuiti eius potiundi potestas sit concessa Sed subijcere collum iugo; suscipere disciplinam, hoc est precium illud quo diuitiæ tales emuntur. Subijciamus, oportet, collum nostrum Sancto legis Euangelicæ iugo: vt quæ nobis facienda præcipit faciamus; quæ fugienda iubet, procul fugiamus. Apprehendenda est disciplina pacis nostræ, quam Christus ipsemet sustinuit, vt eum sequuti spiritu facta carnis mortificantes, non solum hinc viuere, sed & in futurum viuentes gaudere possimus. Hæc si Domino obtulerimus, absq; aliqua rerum, quæ ad vitam sustentandam nobis sunt attributæ, iactura; gratiarum Dei participes efficiemur: vt fluminis instar, copiose super nos munera sua spiritus sanctus, qui à Patre filioq; veluti à fonte quodam procedit, effundat, & cor nostrum ad opus bonum ita promoueat, vt veluti fluius cursum suum non interrumpit, ita nos nunquam à bene agendo desistamus. Fluminis huius impetus lætificabit ciuitatem Dei, sanctificabit tabernaculum suum altissimum. Gratiarum enim Dei participatione, & ipsemet recreabimur, & pro ea qua nobis sunt charitate coniuncti, regni cœlestis incolæ gaudio lætitiæq; maxima perfundentur, cum nos veluti tabernacula Dei sanctificatos, & templa spiritus sancti effectos viderint.

Domine Deus qui potens es omnem gratiam abundare facere in nobis, vt in omnibus semper omnem sufficientiam

habentes

habentes abundemus in omne opus bonum: excita potentiam tuam hanc & veni; mentesq; nostras humilitate sancta illustra, vt eam possidentes ad dona spiritus sancti percipienda reddamur aptiores. Scimꝰ yberiozem esse gratiam tuã quam precationem nostram. Semper enim Domine tu plus tribuis quam rogaris. Concede igitur vt odio peccatorum prætorum stimulat; contemptu præsentium voluptatum confirmati, desiderio futurorum bonorum accensi, vasa digna efficiamur ad excipiendam gratiam tuam: quæ quoniam balsamum est purissimum, fac vt eam nobis datam in corde puro retineamus, in mentis soliditate conseruemus, in timoris & amoris profunditate, diligenter, ne effluat, perpetuo custodiamus.

Psal. 79.

Ambr. sup.
Luc.

PETRI NEGATIO.



Vt vigilent alij.

Trinam Petri negationem mysticè describens Origenes, per primam Principis ancillam, quæ discipulum fecit

In Matth.
Homil. 35.

R

Christum

Christum negare putat intelligi Synagogam Iudæorū qui secundum carnem denegare frequenter cōpulerunt fideles. Secundum autem ancillam, congregationem gentium, qui & ipsi persequentes Christianos denegare cogebant. Tertius autem stans in atrijs, ministros esse Hæretum diuersarum: qui & ipsi veritatem Christi denegare compellunt. Cæterū errorem Hæreticorum de Christo, secundum trinam Petri negationem, tribus generibus terminari scribit Augustinus. Aut enim de Diuinitate, aut humanitate, aut vtroq; fallitur. Per Gallum cantantem, Doctores Ecclesiæ, & fideles verbi Dei præcones intelliguntur; à quibus vtinam Hæretici, ad apertam Christi nominis, ab ipsius negatione, confessionem, reuocari se paterentur. Personuit iam late huius Galli canētis vox: patrum scilicet in Concilio Tridentino legitime in S. Spiritu congregatorum vnanimis de rebus fidei consensus. Huic igitur Christi abnegatores acquiescant Hæretici: hoc excitentur; & ex atrio Caiphæ, è Sathanæ Synagoga, è cœtu seorsim colligentium foras egressi: petro se iungant: fidei quam Petrus tradidit, nunc autem Gregorius XIII. legitimus Petri successor custodit, firmiter adhæreant: atq; ita in Ecclesia vnitatis manentes, negationis præteritæ sordes amaræ sletibus eluant. Quod quamdiu non fecerint, pro Christum negantibus sunt habendi; vt sicut olim sub ipsum passionis tempus, de Apostolis à se recedentibus, ita nunc suo quodam modo Christus quoq; de illis conqueri possit;

De Quest.
Euang. l. I
6.45.

Psal. 87.

Elongasti à me amicum & proximum: & notos meos à miseria.



Quemad-



Quemadmodum terna Petri negatione, ne simile quid à nobis designetur, absterri, ita cum eundē de admissō peccato amare sentem, & posthac Christum liberè Judæis & gentibus prædicantem audimus, ad apertam sacrosanctæ fidei Chatholicæ Christi; nominis confessionem excitari meritò debemus: vt cuius peccantis errorem detestamur, eius pœnitentis & respiscentis virtutes imitemur. Tria sunt hominum Christum negantium genera. Vnum eorum est, qui (quales Christiani omnes qui impiè viuūt esse censendi sunt) ore quidem confitentur se nosse Deum, factis autem negant, cum sint abominati & incredibiles, & ad omne opus bonū reprobī. Alterum eorum est, qui, licet corde vel factis nolint, ore tamen Deum negare videntur. Hos autem tepidos Catholicos esse cōstat, quorū in ijs terris vbi ab obedientia Sanctæ Matris Ecclesiæ discessum est, ingens reperitur multitudo. Tertium illorum est, qui cum ab vna Sancta, Catholica, & Apostolica Ecclesia se nefaria præcisione segregauerint,

Tit. 1.

non magis ore quàm factis Deum negasse censentur, & Hæretici idèò vocantur; quòd sibi opiniones quasdam ab vnanimi totius Ecclesiæ consensu dissentientes, seorsim elegerint, illasq; sequantur; Omnes igitur hi pro Christi abnegatoribus, quicquid tandem ipsimet de se dicant, habendi sunt. Ac illis quidem qui in vnitæte Catholicæ fidei perseverantes, vitam Christianis hominibus indignam ducunt, id vel maximè curandum est, vt quæ via Christû in terris conuersantem incessisse vident, eandem & ipsi ingrediantur, & à quo nomen habent, eius facta, si negatores illius dici & haberi nolunt, imitari totis viribus contendant & elaborent. Hæretici porò si à Christi negati crimine liberi esse volunt, affectionibus humanis posthabitis, inter tot opinionum sibi contrariarum dissensiones, quas in dies crescere vident, veritatis inuestigandæ studio debent inflammari, quam quoniam extra Ecclesiam Catholicam reperire nunquam poterunt; hic eam quærant: Ecclesiam inauditam ne temere erroris arguant, & condemnent; sed vbi quæ sit ipsius de omnibus sententia, didicerint & audierint, illi non grauatim acquiescant, & quem antea Christum, Deos alienos colentes impiè negauerant, eum cum Ecclesia Catholica vnanimi voce laudent & confiteantur. Quoniam autem illi quoq; grauiter peccat, qui licet in Catholicæ Ecclesiæ cõmunionem perseuerent, vbi tamen Christi & corporis eius Ecclesiæ causa agitur, nec se frigidus nec calidos exhibent, & apertè se Christianos & nõ Hæreticos esse profiteri non audent, idèò diligenter eos curare conuenit, vt humano timore postposito, solius tantum Dei suæq; salutis rationem ducant, & quod corde clausum gerunt, id vbi necessitas postulauerit, ore etiam ipsò palam, ad maiorem fidei Christianæ propagationem enunciet, Pauli Apostoli exemplû doctrinamq; secuti, qui ad Romanos scribens *NON ERVBESCO*, inquit Euangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti. Ad quid enim virtus. ad quid salus est credentibus Euangelium: si nos Catholicam doctrinam virtutem & salutem credentium esse scientes, illam ab-

ROM. I.

(condimus, palamq; vbi locus & tempus exigit eam profiteri non audemus? Nunquid Christus gratis mortuus est? Nūquid vniciq; de proximo suo Deus non mandauit? Nū quod à Salvatore dictum esse scimus; Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui in cœlis est, qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo qui in cœlis est, id verum esse dubitabimus: Apertè Christus coram hominibus est confitendus, ne nos ipse coram patre suo cœlesti neget; ne nos Euangelium erubescere quis iudicet, ne frustra Christū pro nobis passum existimet, neue de proximo nihil curare nos arbitretur. Exigit id à nobis suo quodam iure tam Diuina quàm humana charitas, vt quod rectū esse videmus, ad id amplectendum quamplurimos pertrahamus, quò & gloria Dei crescat, & anima fratris è periculo liberetur. Atque huc Propheta respexisse videtur; cum Dnū alloquens diceret; Iustitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem & salutare tuum dixi. Iustitia non abscondenda; veritas & salutare Dei, quòd in vna sancta Catholica & Apostolica permanet Ecclesia, annunciandum est omnibus illis, qui serpentis astutia seducti, in cuiusuis potius quàm Christi Euangelium transferri se passi sunt, vt resipiscant & ad Ecclesiæ vnitatem redeant. Non habet ille charitatem, qui licet cum Orthodoxa sentiat Ecclesia, veritatem tamen doctrinæ illius, vel fortunarum vel vitæ periculo deterritus profiteri non audet, & taciturnitate sua, alios in errore prauisq; opinionibus confirmat. Itaq; nocet sibi, contra conscientiam peccando; nocet proximo scandali occasionem porrigendo, nocet & Ecclesiæ, gloriam capitis illius, qui Christus est diminuendo, eamq; ad quamcunq; tandem Antichristi Synagogam transferendo. Quamobrem vbi cultus Diuini siue religionis agitur causa, tepidos esse nos minimè oportet: sed cum veritatem fidei possideamus, illa tanquam armatura induti, contra eos qui mendacium pro veritate sectantur, fortiter pugnare debemus. Habemus enim Christi primam auctoritate fabricatū,

Matt. 10.

Psal. 39.

martyrum sanguine expolitum, Conciliorum & Sanctorum decretis, longoq; Ecclesiae vsu roboratum gladium, quod est verbum Dei. Hoc igitur è manibus Ecclesiae legitimo ordine sumpto, cum illis, qui se nefarie ab vnitae segregarunt, ita dimicabimus, vt quas ipsi sibi nouas peregrinasq; doctrinas excogitarunt, atq; illis verbi Dei & Euangelij nomen (cùm nihil cum verbo Dei ipsiusq; Euangelio commune habeant) indiderunt, eas ab ouili Christi ipso nobis auxilium suppeditante, propulsare possimus. Adest enim semper pijs conatibus Deus, & suos mirabiliter, etiamsi quandoq; res humanæ deploratæ videantur, protegit. Rectè itaq; is, qui apertè Christi fidem quæ signo crucis exprimitur, profitetur gladium cum palma gestare fingitur. Qui enim secundùm scientiam Zelo ardenti commotus, murù se pro Domo Dei opponit, & ad tuendam promouendamq; Christianam religionem non magis animi quàm corporis vires, veluti gladium quendam adfert, victoriam cuius palma symbolù est laborum suorum fructum se reportaturum nouerit. Victoriæ autem eam intellige, quæ non solum de corporis hostibus, quales sunt Hæretici, quibus non serè quicquã contra Christianos feliciter euenire solere, tot de illis ducti triumphis satis abundè testantur, sed & de ipso diuisionis auctore Diabolo, acquiritur. Fortior enim vnus Deus, quàm mille millia legionum Diabolorum omnium. Hunc igitur Ducem sequenti, fidem ipsius apertè confiteri non erubescamus. Si Deus pro nobis quis contra nos? Non illieo cælum ruiturum existimemus, si vbi res postulat, Christianos apertè & non Hæreticos esse nos, Deumq; Patrum nostrorum colere, & fidem maiorum nostrorum nos sequi liberè profiteamur, immò verò futurum est, vt quod de Petro coram Principibus & scribis Christum confitente scriptum est, videntes Constantiam nostram, qui discesserint à nobis admirentur, & nihil possint, ijs quæ locuti fuerimus, contradicere.

Rom, 8.

Act. 3.

Domine qui fecisti cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, quiq; spiritu sancto per os Patris nostri David

pueri

pueri tui dixisti; Astiterunt Reges terræ & Principes conuen-
 erunt in vnum aduersus Dominum & aduersus Christum
 eius: vide quoniam conueniunt aduersus te & aduersus
 sanctum puerum tuum IESVM quem vnixisti, non iam Hero-
 des & Pontius Pilatus, sed quæ illorum impietatem supera-
 re videntur, Hæreticarum factionum portenta: quæ sanctif-
 simam fidem tuam euersam, sacramenta conculcata, sacerdotium
 & sacrificium abrogatum cupiunt. Nunc igitur Domine respice in
 minas eorum, & da seruis tuis cum omni fiducia loqui verbum
 tuum, & nullis horum inimicorum machinationibus, nullis eorum
 terroribus, ab aperta tui nominis confessione, dimoueantur; sed
 potius annuntient Iustitiam tuam in Ecclesia magna, quam tibi
 per sanguinem vnigeniti filij tui Dñi Nostri, sponsam elegisti: sanctifi-
 casti & coadunasti. Da Domine fortitudinem plebi tuæ, vt quam
 fidei veritatem per manus Apostolorum tuorum, sanctorum Episcoporum
 & Sacerdotum accepit, eam ita retineat vt pro illa quibusuis
 periculis, non modo fortunas omnes, sed & vitam ipsam obijcere
 pro nihilo ducat. Zelus domus tuæ comedat nos semper, vt ne
 sanctissimū tuum nomen ab impijs hominibus blasphemari tacentes
 permittamus, spiritum nostrū pro tui cultus gloria profundere parati.
 In medio nationis prauæ & peruersæ constitutos, qui te sub vno
 visibili pastore colunt & adorant gratia tua corrobora, vt ad
 ouile tuum quamplurimos reducant, & exemplo bono ad gloriam
 tui nominis propagandam præluceant: quò Christum coram
 hominibus confiteri non erubescens, Christus vicissim eos coram
 Patre suo confiteatur.

Psal. 2.

Psal. 39.



CHRISTI AD PILATVM ADDVCTIO.



Vertit in rem gloria.

Math. 27.

Matt. 15.


1. Pet. 2.

Immanis Iudæorum impietas, varijs iniuriarum & verberum tormentis Christum afflixisse non contenta, ad occidendum illum, animum insuper adiecit, & consilio manè facto, Pilato vinctū tradidit. Porro hæc Dño nostro illata ignominia, in magnam gloriam nobis est conuersa. Pilatus enim hic, gentilis populi figuram in se gerebat: ad quem Christus à Iudæis contemptus & illusus, postmodum erat adducendus. Mirabilis sanè rerum vicissitudo Christus non fuit missus nisi ad oves quæ perierant è domo Israel: ecce autè oves hæ, pastoris vocem audire nolentes, ab ipso nefariè desece-
runt. Populus autem gentilis, olim contemptus & abiectus, factus est populus acquisitionis, genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, & de tenebris in admirabile Dei lumen, vocatus est: quod quidem lumen significare videtur illud Manè quo Christum Pilato tradiderunt Iudæi, nobis diem sibi verò noctem perpetuam inducentes. Regnum autè Dei ad gentes à Iudæis transferendum non obscure plurib9 in locis, cum alijs Prophetæ, tum Jsaïas prædixit; è quibus illud produxisse suffecerit, vbi in persona Dei loquitur;

Ducam

Ducam cecos in viam quam nesciunt, & in semitis quas ignorauerunt ambulare eos faciã ponam tenebras coram eis in lucem, & praua in directa.

Isaia 42.

*Obedientia.*

CUm Dominum Iesum, à Iudæis adductum, ante Præsidentem sterissè audimus; debet nobis in mentem obedientiæ ipsius venire, qua humiliavit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. Creator ante creaturam se sistit, vt exemplo suo his qui cū potestate versantur obedire, nec tam personæ, si quid alienum ab officio committât, quàm muneris illorum nos habere rationem debere doceret. Nam cū, quemadmodum pulchrè Diuus Paulus colligit, non sit potestas nisi à Deo; quæ autem sunt à Deo ordinata sint; profectò ille, qui potestati, qualiscunq; tandem illa sit, resistit, Dei ordinationi resistit. Qui autem

Math. 27.

Phil. 2.

Rom. 13.

S

resistunt

Habr. 13.

2 Para. 13

resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt; quam vt effugere possimus, rectè alio loco nos admonet inquit; Obedite prae-positis vestris & subiaceate eis. Ipsi enim peruigilāt, quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Tāto magis igitur illis parere, eosq; amare tenemur, quāto maioribus, dū nrām curant, animarum suarum salutē periculis obijciunt. Duplex autē est potestatis species, quæ vt homines in officio contineret, à Deo constituta est. Vna Ecclesiastica vocatur; quæ cum sacerdotum sit propria, qui ligandi soluendiq; conscientias, à Christo traditam habent auctoritatē: per clauem duplicē in simbolo nostro exprimitur: Politica est altera, quæ ad ciuile magistratum propriè spectat, & gladio ac sceptro, quæ Regū & Principū quos seculares vocant, insignia sunt, significantur. Vtriq; potestati nos De9 subiectos esse voluit: vt quæ ad animā spectant in ijs sacerdotibus, quæ autē ad vitæ præsentis rationes pertinent, in ijs Politico magistratui, obediamus. Ad eum siquidē modū hæc officia in libro Paralipomenō distincta legimus, vt Amarias Sacerdos & Pontifex in his quæ ad Deū pertinent præsideat, porrò Zabadias filius Ismahel, qui est Dux in domo Iuda, super ea opera sit, quæ ad Regis officium pertinent. Hic ordo vbi seruatur, summā ibi tranquillitatē, ac mirabilē animorū voluntatumq; consensionem videre licet. Cæterū in quibus eum terris commutatum & inuersum audimus, dum politic9 Magistratus ea quæ sacerdotū propria sunt sibi ausu temerario vindicat, in ijs plus quàm Babylonicam rerum omnium esse confusionē, nullus est qui non videat, & ingemiscat. Hunc fructū amentix suæ referre videntur illi, qui pro verbo Dei Christi q; Euangelio, impurum Lutheri vel Caluini dogma sequi maluerunt, vt quod habent, ne dicam Principes, sed quoscunq; inferioris conditionis magistratus, tot, velint nolint, habeant etiam Politicos quosdam Pontifices; qui à forensibus rebus ad Ecclesiasticas transcendent, magno supercilio, quemadmodum ipsimet Hæretici de illis conqueruntur, audent nouas religionum formulas componere, easq; cuiusuis potius quā Ecclesiæ Dei

Ministris

Ministris offerre, tali cū imperio, ni applaudāt, sine contradic-
 ctione, se suo scepro illos expulsuros aut punituros: quod
 etiā faciunt absq. omni misericordia. At non ita sancta Ca-
 tholica mater Ecclesia quæ cū sit castrorū acies ordinata, po-
 testates habet, quarū vnaquæq. sese intra suos cancellos cōti-
 net. Sacerdotes quorū id munus est, legē Diuinam tractant;
 principes ea, quibus pax politica & humanæ Societatis or-
 do conseruari possit, attendūt. Huic igitur tanquā obediētes
 illius filij perpetuò adhærentes, quam nos Deus Præpositis
 nostris obediētiā exhibere iubet, eā cū omni humilitate il-
 lis deferamus; & illā in obediēdi ratione, quam Bernardus
 præscribit, veluti generalē quandā regulam teneamus, vt in
 difficilioribus quidē agendis, obediētiō gratior, quā præua-
 ricatio grauior iudicetur; & in faciliōribus minulq. onerosis
 contēptus dānabiliōr, quā actus laudabiliōr æstimetur. Ad
 animos autē ad præstandā superioribus obediētiā præpa-
 randos, illud plurimū profuerit, si non à metu feruorū sed à
 pleno Charitatis affectu ad obtemperandū adducamur. Plu-
 rimū enim interest, vtrū timore pænæ an amore iustitiæ faci-
 at aliquis illa quæ iubetur. Humilitas præterea hīc vel maxi-
 mē requiritur, quā qui habuerit, nihil tam durū, nihil tam
 graue humeris illi potest imponi, quod nō summa cū alacri-
 tate perferre paratus sit. Quanto nāq. se quis inferiorē cæ-
 teris iudicat, tanto illos se præstātiōres esse facile existimabit;
 quos autē meliores ducit, eos amabit; quos amat, illis hone-
 sta iubētib9 maxima cū hilaritate, nō poterit nō obtēperare.

*De præce-
 pto & di-
 spōsitione.*

DEVS à quo desuper omnis potestas hominibus datur, o-
 bediētiæ humilitatisq. virtutem nobis largire; vt voluntati
 propriæ renūtiātes, ea quæ per visibiles tuos ministros no-
 bis faciēda præcipis, alacriter exequamur. Da vt tam Eccle-
 siasticæ quam Politicæ potestati, honorem, reuerentiā, &
 subiectionē in vera charitate deferam9; à murmuratione de-
 tractioneque abstinēamus Scimus Domine; quot & quan-
 ta mala propter primū parentis inobediētiā, in genus
 humanū induxisti; miserere igitur nobis & concede vt

Io: 17.

vt ne cuius peccati pœnas sustinemus, illud iteremus, teque ad vindictã de nobis sumendam prouocemus. Respice Dñe de domo sancta tua in nos, & inclina aurem tuam & exaudi nos, vt & illi, qui posteaquam legitimæ potestatis iugum excusserunt, nouas & peregrinas doctrinas amplexi sunt, ad Ecclesiæ tuæ sanctæ gremium redeant; & vna nobiscum, non solum tibi per caput in terris visibile in Ecclesia nobis impetranti, obtemperent; sed Regibus quoq; & Principibus à te missis, ita obediant; vt armis quæ pluribus in locis contra illos, immò verò contra te, nefariè arripuerunt, depositis, omnes vno ore, in vna sancta, Catholica, & Apostolica Ecclesia, te laudare perpetuo valeant.

IUDÆ SVSPENDIUM.



Scelus sceleri ingerit.

IN Iuda Ischariote veram pœnitentiam non fuisse vel illud apertè conuincit, quòd cum Pœnitentia inter spem & ti-

morem media esse debeat, de scelere admisso timorem quidē & dolorem concepit, æterum spem omnem de misericordia Dei prorsus abiecit, ita vt doloris remedium, morte sola & suspensio miserè ad extremum quæsiuerit. In quo ipsius atroci factō, callida Diaboli nobis insinuat̃ astutia: qui posteaquam in Iudam fuerit ingressus; posteaquam hominem scilicet quempiam ad peccādum induxerit, recedit ille quādoq; paulisper, vt se peccasse miser ille agnoscat (nec n. Iudas Diabolo cor suum implente poterat dicere, Peccauī tradens sanguinem iustum) sed obseruat tamen tempus, vt iterum se ei apponat; & cū cognouerit secundum peccatum suum quis (vt scribit Origenes) obseruat etiam tertix̃ deceptionis locum, vt in abundantiori tristitia illum absorbeat. Hoc igitur præuidens Apostolus consilium Corinthijs dat, vt conferuent charitatem, in eius generis hominem, ne idem illi contingat, quod Iudæ videmus euenisse: qui nisi à Principibus Sacerdotum. Quid ad nos? Tu videris, audisset, fortassis ad vltimum impietatis barathrū nunquā descendisset. Iudæ interitum videtur Architophelis mors præsignasse: de quo illud in Regum libris extat scriptum,


Homil. 35.
In Matth,
2 Cor. 2.

Matt. 27.

2. Reg 17.

Porro Architophel videns, quod non fuisset factum consilium suum, stravit asinum suum, surrexitq; & abiit in domum suam & in Ciuitatem suam, & disposita domo sua suspendio interijt.





De vtilit.
pen.ag.

Q Vicunq; grauiffimorum ſibi criminum conſcius eſt; proditoris Judæ (quem non tam ſcelus quod commiſit; ſicut Auguſtinus ſcribit, quam indulgentiæ deſperatio, ſecit penitus interire) triſtiſſimo & luæuoſiſſimo caſu debet admoneri; vt ne prorsus de miſericordia Dñi, quòd eum ſaluare non poſſit, ſpem omnem abijciat. Et Sathanæ quidem hæ ſunt artes, quibus incautos illaqueare conſuevit, vt antequã peccatũ perpetret aliquis, illud extenuet, vbi verò conſummatum fuerit, illius enormitatem, vt peccantem ad deſperationem pertrahat, modis omnibus exaggerat. Quamobrem quemadmodum antequã peccatum aliquod committatur, quo facilius ab illo deterreri poſſimus, illius turpitudinem & magnitudinem, iram præterea & vindictam Dei, meritò perpendere debemus, ita vbi fuerit admiſſum, dum nos & conſcientia terret, & Sathanas inferni pœnas æternaq; ſupplicia obijcit, ad pœnitentiam potiùs, quæ quaſi quædã poſt naufragium tabula nobis relinquitur, quam ad deſperatio-

nis abyssum confugere debemus, memores illius quod ab Ambrosio scriptum est; Nouit Dñus mutare sententiam, si tu noueris emendare delictum. Pœnitentia igitur est agenda, & spes in Deo ita collocanda, vt nec nimium quis de bonitate clementia Dei sibi præsumat, ne in vitium prolabatur, nec Iustitiam Dei grauitate peccati metiatur, ne de veniæ spe obtinenda, animum despondens à Diaboli tentatione absorbeat. Quemadmodum itaque iustis ad quascunq; vitæ præsentis ærumnas facilius tolerandas; ita & peccatoribus ad opera pœnitentiæ exercenda, spes incitamento esse debet. Hæc enim est quæ, vt ait Apostolus; **NON CONFUNDIT.** Non confundetur siquidem Iustus, qui alto quodam animo terrena despiciens, illa sperat, quæ præsentibus tanto sunt præstantiora, quanto cœlestia terrenis sunt potiora. Non confundetur peccator, qui cogitans quæ sceleribus pœnæ debetur, de his in hac vitâ expiandis semper est sollicitus, futurum sperans, vt Deus tandem aliquando misereatur illius, nec eum in furore suo corripiat: quandoquidem pœnitentiam agentibus, appropinquaturum Regnum cœlorum per os præcursoris sui est pollicitus. Non minus itaq; in iusti quam in peccatoris persona Propheta Dauid Dñum allocutus videtur; In te Dñe speraui non confundar in æternum. Si sperauerimus in Dño, sperantes autem, bonitatem fecerimus; pacemur proculdubio in Diuitijs Domini, & in æternum non confundemur. Quamobrem rectè Paulus Apostolus spem galeam salutis vocat; qua Christi militem indui vult. Spe enim munitus, qui animum ad cœlestia desideria erigit ex acie cum aduersario dimicans, confusus non discedet. Projiciat licet in eum varias tentationum suarum sagittas Diabolus quibus eum conficere nititur; si galea spei sese muniuit, non confundetur. Sagittæ inimici dissipabuntur, resilient, & confringentur, in Domino autem sperans non infirmabitur. Terribilis est hæc galea, quæ cum in cono suo, Christi crucè qua deuictus est Sathanas; circumferat, inimici tela retundit, impetufq; tentationum propulsat. Hac igitur galea mu-

niamur

*in Lul. 2**Rom, 5.**Psal. 30.
& 39.**1. Thef. 5.**Psal. 25.*

niamur & nos, qui ad congregandum cum Diabolo semper esse parati debemus, Gloriæ cælestis coronam præ oculis habentes, in æternitatem animum erigamus, & quæ præmia legitimè certantibus esse proposita videmus, ad ea obtinenda ita spe rapiamur; vt nec laboribus vllis parcamus, nec quibuscunq; tandem difficultatibus à certando deterreamur. Futurorum spes, inquit Origenes, laborantibus requiè parit, sicut in agone positus dolorem vulnerum mitigat spes Coronæ. Sperantes itaq; bona, nunquam, à benè agendo vacuifimus. Quo enim magis in exercitio Sancto perseuerauerimus, hoc vberiore spe Regni cælestis potiundi, non tam nostro, quam Christi ipsius merito, in cuius virtute mereri possumus & nos, ditabimur. Domine Deus qui protector es omnium sperantium in te, misericordiâq; tua eos circûdas, reple nos omni gaudio & pace in credendo, vt abundemus in spe & virtute spiritus sancti. Ecce respicio nationes hominum, Dñe, & scio, quia nullus sperauit in te, & confusus est; concede igitur, vt omnem spem & fiduciam meam in te collocem, in tentationibus defensorem inuocem, in necessitatibus adiutorem quæram, in tribulatione consolatorem concupiscam. Et quoniam ij qui sperant in te, sicut per Prophetam promisisti; mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient. concede misericors Deus, vt imbecillitas virium mearum, quæ ad bene faciendum nimis languent, mutetur in robur fortitudinis, quo aduersario contra me pugnâti resistere, eumq; in virtutis tuæ brachio superare possim. Vtinâ assumam pennas supernæ cõtemplationis, quibus à cura terrenorum, quæ nos à degustanda suauitate tuæ dulcedinis abstrahunt velut aquila auolem, ea sola cogitando, quæ ad acquirendam veram illam beatitudinem conducunt. Vtinâ in currenda mandarorum tuorum via, nullum laborem, nullam sentiam lassitudinem, quæ me ab officio meo, & à tã desiderato brauiõ percipiendo, retardet. Vtinam ambulem in conspectu tuo, in innocentia, in lege tua, in via immaculata

Sup. Exod.
60.9.

Psal. 17.
& 31.
Rom. 51.
Eccle. 2.

Isaie 40.

& non deficiam. Quod expecto, tribue mihi Dñe: quod humiliter peto, largire: vt sperans in te, amem te, amans te, perpetuò adhærere tibi, & cum Propheta exultare possim. Mihi autem adhærere Deo, bonum est: & ponere in Domino spem meam.

Psal. 72.

CHRISTI APVD HERODEM TACITVRNITAS.



Muta libertas.

Silentium Domini apud Herodé, sanctos viros, vt scribit Gregorius, videtur innuere, qui cùm audientibus prodesse nequeunt, etiam despici tacentes volunt, ne de suæ sapientiæ glorientur ostentatione. Cùmq; prudenter aliquid dicunt, non suam gloriam, sed auditorum vitam quærunt. Cùm verò conspiciunt quia vitam auditorum loquendo lucrari non possunt, tacendo scientiam suam abscondunt: ne si ostentationis studio verbum Dei loquuntur & auditorum culpa quæ erat, esse non desinat, & ipsorum quæ non erat, fi-

Coment. in
Luc. l. 10.

at, In Herode typicè omnes impios significari dicit. Ambrosius: qui si legi non crediderint & Prophetis, mirabilia Christi opera in Euangelio quoq; videre non possunt. Quod verò alba veste Dñs ab Herode induitur, immaculatæ tribuuntur indicia passionis, quod agnus Dei sine macula cum gloria, mundi peccata susciperet. In typo etiam Herodis atque Pilati, qui amici ex inimicis per IESVM Christum facti sunt, plebis Israel & populi gētilis figura seruator, quod per Domini passionem vtriusq; sit futura concordia: ita tamen ut prius populus nationum capiat Dei verbum & ad populum Iudæorum fidei suæ, deuotionem transmitrat. Ceterum ad Silentium illud Christi, Propheta respexisse videtur cum diceret.

Isaia 53.

*Quasi agnus coram tondente se obmutescet,
& non aperiet os suum.*



Herodes alba veste Chrūm induens, licet non aliud ea re quæsiuerit, quàm ut ei à quo totius honestatis fontes promanant

promanant, contumeliam inferret, cogitare tamen pia mens debet, candidæ illius vestis indicio, innocentiam saluatoris fuisse designatam: qui licet tanquam malefactor ad iudicium tribunalia duceretur, suæ nihilominus innocentie, ab eisdem, vel inuitis illis, testimonium reportare meruit. *Qua* quidem re docemur, veram innocentiam in contumelijs non modo probris nullis affici, sed laude potius illustrari: dum premitur, non opprimi sed vberiore semper gloria & præmijs coronari. Rectè igitur Hieronymus scribit, innocentem inter ipsa tormenta frui conscientie bono & inter malignitates, quum de pœna metuit, de innocentia gloriari. Eius itaq; amore debemus omnes merito inflamari, quam etsi in peccato primi Parentis amisimus; per ea tamen Sacramenta quæ ad eum finem Catholica seruat Ecclesia, gratia Dei nos adiunãte, possumus ad eius possessionem peruenire. Innocentiã autem eam animi puritatem voco, quæ cum ab inferenda iniuria vehementer abhorreat, nec proximo, nec sibi ipsi nocet, suãq; actiones omnes ita moderatur, vt de ea nullus merito conqueri possit: Vnde etiam is, qui hanc virtutem habet, columbæ nõ ineptè potest assimilari. Animal enim hoc simplex est, lætum, non felle amarum, non moribus seuum non vnguium læeratione violentum: hospitia humana diligens, & vnus domus confortia cognoscens. Verè enim coluba ille est, qui de se humiliter sentiendo, sapiens in oculis suis videri non vult, sed columbæ simplicitatem, & prudentiam, iuxta præceptum seruatoris, imitari studet: benè factorum conscientia fretus, etiã in luctu positus, gaudet in Dominoq; semper lætatur: iræ amaritudinem non retinet: grauissimas quasque iniurias, voluntaria obliuione conterit, de quæ vlciscendis illis omnem cogitationem abiicit: nulli insidias, nulli damna comparat: conuersatione honorum delectatur; & in vnus domus, quæ Sancta est Catholica Ecclesia, perfugio acquiescens, vitam homine Christiano dignam, in Dei & proximi charitate fundatus, pie innocenterq; traducit. Qui ita se gerit coluba est,

*Ad Demetriadem
Epist. hæc incerto auctori adscribitur inter Epistolas Augustini.
Tom. 2. fol. 371.*

Mat. 10

In Hixam

& ad gradum perfectionis, quæ globi figura, utpotè solida & sibi per omnia respondente, in symbolo hoc exprimitur, quàm proximè accedit. Quoniam autem innocentia atq; integritas, ut ait Ambrosius, leui sorde violatur aspersa & gratiæ suæ munus amittit; ideo summa cautio in ea conseruanda, debet ab hominibus adhiberi. Perpendenda est diligenter, maxima illa iucunditas, qua perfunditur anima, dum à verme conscientiæ propter aliquam turpitudinem non roditur: quæ res quo maiorem habet in se voluptatè, hoc maiori nobis esse curæ debet, ut stabilis & fixa permaneat. Mens ipsa frequenter excitanda, ut in virtute magis ac magis proficiat: & quam Deo quamq; proximo charitatem debet eam omni tempore impendat. Exercenda quoq; est memoria, tum mortis, tum extremi iudicij, Diuinæq; iustitiæ ac misericordiæ, diligenti assiduaq; meditatione: ut partim amore partim metu in officio contineatur, vitæq; honestatem ac innocentiam conseruet: quo spreta & contempta voluptate, Diabolo vel concupiscentia carnis, vel concupiscentia oculorum, vel superbia vitæ se tentanti, cum Sancto Iob securè possit respondere: **NON RECEDAM** ab innocentia mea. Iustificatiõem meam, quam tenere cœpi non deseram. Neq; enim reprehendit me cor meum. O verè beatus ille: qui in Dño ita gloriari potest: talis, sicut quodam loco pulchre scribit Chrysostomus, ubiq; illæsus est ubiq; securus. Si tentatur proficit, si humiliatur erigitur; si pugnat, vincit; si occiditur coronatur. Cum itaq; nihil pulchrius innocentia, nihil integritate sanctæque simplicitate beatus: quod extollimus id acquirere, quod suspicimus, id amplecti totis viribus contendamus. Frustra enim quæ pulchra sunt, prædicamus; si pulchris potiri decorariq; non studemus.

Iob. 27.

Psal. 83.
Prou. 2.
Eccle. 17

Domine qui non priuas bonis eos, qui ambulant in innocentia: & custodis rectorum salutem, & protegis gradientes simpliciter: da nobis pœnitentibus viam iustitiæ, & confirma deficientes ut quibus te peccatis offendimus, de ijs per voluntariam castigationem expiandis, assiduè laboremus:

futuris

tuturis autem dextera misericordiae tuae nos protegente pu-
ros & immunes nos conseruemus. Da vt gloria nostra omnis
haec sit, testimonium conscientiae nostrae; quod in simplicitate
& sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gra-
tia Dei conuersati sumus in hoc mundo. Ecce Dñe, quasi col-
umbae meditantur gemimus corde compuncti, ad te clama-
mus miserere nobis. Praeinge nos virtute, & pone immacu-
latam viam nostram, vt nec proximo iniuriam inferendo, nec
nobismetipsis legem tuam transgrediendo, noceamus. Doce
manus nostras ad praelium, quod cum carne, mundo, & Diabolo
congradi intrepide possimus. Pone vt arcum aereum bra-
chia nostra quibus aduersa omnia pro tui Nominis gloria, a-
nimarumque nostrarum utilitate, fortiter sustinere, & manus
nostras inter innocentes lauando, cordis mun-
ditia, actionumque bonarum decore tibi pla-
cere, valeamus.

2 Cor. I.

Isaia 59.

Psal. 17.



BARRABÆ CVM IESV COLLATIO.

*Vagæ rerum vices.*

PER Barrabam insignem illum latronem & homicidam, quem Judæi Christo prætulunt, Diabolus, qui & ipse homicida est, ab initio rectè designatur. Et Barrabas quidem iste, scribit Origenes, constitutus est ad seditionem & bella & homicidia facienda in animabus hominum: **I E S V S** autè quasi filius Dei & pax constitutus, & verbum & sapientia ad omnia bona. Hi ergo duo cum sint vincti in rebus humanis & corporibus, populus ille sibi postulavit absolui Barrabam; propter quem non cessat gens illa habere seditiones & homicidia & latrocinia secundū quosdam gentis suæ in rebus

quæ

*Matt. 27.**Ioan. 7.**Hom. 35.**in Matth.*

quæ foris habetur; secundum omnes autem Iudæos, qui nõ credunt IESVM; intus in anima. Vbi enim est IESVS illie seditiones, & lites, & prælia sunt. Vbi autem est IESVS vt dicere possint, si autem CHRISTVS in nobis, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita, propter iustitiam; ibi sunt omnia simul bona & innumerabiles Diuitiæ spirituales in manib; eius & pax. Ipse est enim pax nostra qui fecit vtraq; vnum. Et si quis videat contrariam illam operationem, cognoscet, quoniam ipse est in omnibus victus insignis Barrabas, quem sibi solui desiderant, non solum tunc peccans. Israhel secundum carnem, sed & omnes qui eis similes sunt vel in dogmate vel in vita. Quicumq; ergo mala agit solutus est in corpore eius Barrabas, Christus autem victus. Qui autem bona agit Christus ei solutus est, Barrabas, autem victus. Porro ad detegendam summam cæcitatem & malitiam Iudæorum qui rerum dimitti, innocentem autem occidi petiuerunt, illud Jobi possumus usurpare;

Rom, 8.

Ephes. 2.

Quis vnquam innocens periit; aut quando recti deleti sunt?

Iob. 4.





Quod Barrabæ ex carcere dimisso, Christus Iesus agnus innocens extremo supplicio destinatur Libertas illa, in qua morte & passione sua saluator noster nos vindicavit ea ratione designari videtur. Durissimo etenim Diabolicæ seruitutis & peccati iugo vniuersum genus humanum post primi Parentis lapsum premebatur: à quo non prius potuit liberari, quam vnigenitus Dei filius, nostræ carnis assumpta fragilitate, totius mundi peccata in suo corpore sustineret; factus pro nobis obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis. Agnosce igitur ô Christiane, summam Iesu Christi benignitatem, qui formam serui assumpsit. vt & amicum Dei faceret: contemptus, & abiectus videri voluit, vt te vinculis tenebrarum & longæ noctis compeditum solueret; vinciri & ligari se passus est, vt te libertate donaret. Libertatem autem non

Phil. 2.

Sap. 17 &

Psal. 145.

eam intelligo, qua monstrum illud hominis Martinus Lutherus, veluti flabello quodam ad seditionem in Germania, rusticorum primum contra principes, deinde verò Principū contra suum Imperatorem concitandā. vsus est quali si Christus nos vti libertate voluisset, nunquam quæ sunt Cæsaris Cæsari reddenda præcepisset: nunquam discipulus eius, subiectos nos omni humanæ creaturæ propter Deum esse debere docuisset. vt simus quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut serui Dei. Non tam itaq; libertatem quæ licentia potius dicenda est, sed illam se Christianus per Christi mortem consecutum esse sciat; qua liberatos nos à peccato, seruos autem iustitiæ factos, Paulus apostolus ostendit. Verus nanq; homo noster cum Christo simul crucifixus est, vt destruat corpus peccati; **V T V L T R A N O N S E R V I A M V S** peccato. Quoniã autem mos erat antiquis dato pileo seruos manu mittere, illosq; per eiusmodi signū, libertate donare; ideo in symbolo quoque nostro pilei cruce Dñi nostri IESV Christi insigniti, & laurea corona, quæ honoris adepti significationem haberet condecorati, formam expressimus, laudabilem patriæ nostræ, cæterarumq; septentrionalium gentium morem sequuti, quibus solenne est, infamulorum recens baptizatorum capita eiusmodi tegumēto operire, quod Christi crucis figuram habeat expressam, nimirum vt Christianus intelligat, libertatem suam Christo Dño se acceptam referre debere. Ille etenim est, qui eruit animas nostras ex inferno inferiori: qui liberauit nos de manu pessimorum & redemit nos de manu fortium potestate Diaboli debellata, portis æreis contritis, & vectibus ferreis fractis. Ille est qui compedes mortis æternæ, quibus detinebamur omnes. crucis suæ malleo comminuit; vincula nostra morte sua dirupit vt sine timore, liberati de manu inimicorum nostrorū, qui quo minus obtutibus nostris patent, hoc maioribus nos insidijs adoriuntur. seruiamus illi in sanctitate & iustitia, coram ipso omnibus diebus nostris. Soluti igitur hac tam graui seruitute, & in optatissimam libertatem

1. Pet. 2.

Rom. 6.

Psal. 85.

Ierem. 15

Luc. 1.

V

vindici:

*Galat. 5.**Rom, 9.**De vera
religione.**Seneaa de
vita beata
cap. 15.**Psa. 73.**Dan. 3.**Eccl. 51.*

vindicari, de ea retinenda, qua nihil potest esse dulcius cogitemus omnes. Quod Paulus Apostolus nos monet, inquit; State, & nolite iterum iugo seruitutis contineri, id ante oculos mentis nostrae semper habeamus. Vocati sumus in libertatem, ne demus itaque libertatem hanc in occasionem carnis, sed per charitatem seruiamus inuicem. Empti sumus pretio magno; ut pote sanguine unigeniti filij Dei, de potestate tenebrarum eruti: ne venundemus igitur nosmetipsos peccato, seruientes immunditiae & iniquitati, sed potius exhibeamus membra nostra seruire iustitiae in sanctificatione. Quae delectat vera libertas, inquit Augustinus, ab amore rerum mutabilium, liber esse appetat: & quem regnare delectat, vni omnium regnatori Deo subiectus sit, plus eum diligendo quam seipsum. Haec illa iucundissima seruitus est, quae libertatis nomine censetur, Dei mandatis obtemperare, iustitiam sectari, mundi voluptates spernere. Si Deo seruiamus, regnamus: si nos illi nostraeque omnia subijcimus, liberi sumus, ut nihil sit illo verius quod ab Ethnico quodam scriptum legimus; Deo parere libertas est.

Domine Deus Rex noster ante saecula, qui operatus es salutem in medio terrae, & non confudisti nos; sed fecisti nobiscum, iuxta Mansuetudinem tuam, & secundum multitudinem misericordiae tuae, liberans nos de perditione, & eripiens nos de de tempore iniquo: Confitemur & laudem dicimus tibi, & benedicimus Nomini tuo, maiestatemque tuam supplices oramus, ut mentes nostras radio tuae claritatis illustrare velis: quo cum spiritali profectu, beneficia tua nobis collata accuratius considerare valeamus. Concede Clementissime Deus, ut qua libertate per mortem filij tui Domini nostri Iesu Christi, homines donasti, dans eis potestatem filios Dei fieri, qui in eius nomine credere vellent, hanc ne socordia, malitiaque nostra amittamus; & in durissimam illam Diaboli seruitutem, per peccatum iterum recidamus. Gratiam tuam nobis largire, ut carnalibus desiderijs postpositis, superbia vanaque gloria reiecta, tibi liberatori nostro, vitae & salutis,

auctori

auctori, perpetuo adhæreamus & quandoquidem dirupisti vincula nostra, quibus ab immani nostri generis hoste, duriter constricti fuimus, da vt tibi hostiam laudis & gratiarum actionis, in Ecclesia tua sancta nunquam sacrificare desistamus.

FLAGELLATIO.



Non leui motu.

Romanis legibus sancitum fuisse, scribit Hieronymus vt qui Cruci suffigi debebant ij flagellis prius cæderentur. Traditus est itaq; IESVS militibus verberandus, & illud sacratissimum corpus, pectusq; Dei capax flagella secuerunt. Hoc autem factum est, vt quia scriptum erat, Multa flagella peccatoris, illo flagellato nos à verberibus liberaremur: dicente scriptura ad virum iustum. Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Flagellare autem Christum illi dicuntur, qui cultum Diuinum per IESVM introductum de-

*In cap. 27
Matth.*


Psal. 21.

*Psal. 90.
Orig. Homil. II.
in Matth.*

ludentes, & doctrinam eius abijcientes, linguis suis illum flagellare non verentur quales non solum Iudæi & gentiles, sed Hæretici quoq; & impij Christiani censendi sunt: qui perversis viræ actionibus quasi quibusdam aculeis Christi nomen impiè lacerant. Flagellati autem Christi typum, flagella Iob videntur representasse: qui rectè factorum conscientia fretus, illud dicere non dubitavit.

Iob. 19.

Intelligite quia Deus non a quo iudicio afflixerit me, & flagellis suis me cinxerit.



Mortificatio.

Flagellis crudeliter exsum saluatorem nostrum cum meminimus) meminisse autem frequèter debemus) ad mortificandam carnem nostram, prauasq; cupiditates voluntaria castigatione coercendas, animum adijciamus. Nihil enim æquè nomini Christiano aduersatur, quàm Christū tot & tāta pro salute nostra passum intelligere, neq; tamen quicquā pro eo hic vicissim pati velle. Ille non pro suis, sed pro delictis nostris proprijs, aliquid etiam in hac vita perpeti, vt in

futura, voluptate Izititiâq; sempiterna perfruamur. Ieiunio, vigilijs, abſtinentia, cilicio & diſciplina, corpus eſt attenuandum, vt in ſeruitutem ſpiritus redigatur, vt ne voluptatibus deſeruiat, vt Diabolicas tentationes facilius eludat. Recte itaq; per tympanum, quia demortui animalis corio tenditur carnis noſtræ, vt ait Gregorius, mortificatio figuratur. Quæ admodum enim tympanum non carnem ſed mortui animalis pellem extenſam habet; quæ quo magis in eo extenditur hoc ſonum acutiorem, & ad terrendos hoſtes magis accommodatum reddet: ita & homo, qui corpus ſuum caſtigat, affligit, macerat, uſq; quam longiſſimè illud à carnalium voluptatum deſiderijs abſtrahat, procurat, Diabolo cumprimis terribilis efficitur, & machinationes illius à ſe propulſat; vt veluti mortua pellis in tympano extenſa, nobis in bello ſolet eſſe uſui, ita quoq; ille MORTVVS mundo, concupiſcentijs illius per diſciplinam edomitis, TERREAT & propulſat aduerſarium ſuæ ſalutis Diabolum. Timet enim ille, piorum ieiunia, vigilijs, orationes, & eleemoſynas: quib; illos veluti per quosdam gradus ad Deum propius videt accedere. Quamobrem ſi & nos Sathanam terrere & præſſigare volumus: ſtudeamus, quod Apoſtolus hortatur, mortificare membra noſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & auaritiã quæ eſt ſimulachrorum ſeruitus. Mortificare autem iſta non poterimus ſi luxui, deſidiæ, gulæ ſæculiq; voluptatibus nos tradiderimus. Sine carne & vino cito friget venus: à patre Libero ad inconceſſam Venerem eſt proximus gradus intemperantiæ inquit Hieronymus. Fugiendæ ſunt iſtæ voluptates corporeæ, quarum ſinis dedecus & dolor eſt ſempiternus. Vita durior nobis eſt inſtituenda, quæ carnem mortificet, vt ſpiritum viuificet: corpus caſtiget & animam ſaluet. Cogitet ſecum vnusquiſq; ſe maiorem eſſe, & ad maiora genitum, quã vt mancipium ſit corporis ſui, ea, quæcunq; illi adhibuerint ſaciendo, nullamq; Dei, nullam animæ ſuæ dignitatis rationem ducendo. Meminerit ſe non ideò creatum eſſe, vt corpo-

*In I. Reg.
cap. 10.
expoſit. l. 4*

Coloſ. 3.

*In quad.
Epiſt.*

Sen. ep. 66

Hebr. 11.

Psal. 159.
Sup. Ezech.
lib. 1. Ho-
mil. 8.

1. Cor. 13

Eccl. 12.
Sap. 10.

Sap. 9.

ri indulgeat, desideriaq; carnis perficiat, sed vt hic piè viuēdo, nulli nocendo, Deumq; assidue laudando, ad cœlestem illam patriam aspi-ret. Nostræ igitur creationis causam diligentius attendentes, illos in omni vita nostra nobis imitandos proponamus, qui vt hæredes fierent in domo Dñi, carne pro nihilo ducentes, circūierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus & spelūcis, & cauernis terræ Quoruū vestigijs si insistemus, in tympano & choro Dominum laudabimus. In tympano inquit, Gregorius, corium siccum resonat; in choro autem voces cōcorditer cantant. Quid ergo per tympanum nisi abstinentia, & quid per chorum nisi charitatis concordia designatur? Ad abstinentiam itaq; & carnis mortificationem, concordiam charitatis adiungamus: sine qua etiam si quis tradiderit corpus suum vt ardeat, nihil illi prodest, vt quæcunq; fecerimus, ea in hac vna radices suas defixas habeant. Ita enim futurum est, vt mortificatio carnis nostræ nobis utilis, Deo autem grata sit & acceptabilis.

Domine qui odio habes peccatores, & impijs reddis vindictam, custodi nos ab inimicis & a seductoribus, tutare, & certamen forte da nobis: vt vincamus & sciamus. Vincamus quidem aduersarium nostrum Diabolum peccata fugiendo, & quæ tibi placita sunt, faciendo: sciamus autem, corpus hoc, quod corrumpitur, & aggrauat animam, castigare, & in seruitutem spiritus redigere. Da Domine vt manentes hic, peccatorum ipsi nostrorum pœnas à nobis exigamus, pœnitentiam agendo, carnemq; nostram affligendo: vt ne in manus tuas, in quas horrendum est incidere, mortali corpore exuti, incidamus. Concede vt mundi huius voluptates, quarum fructus amariores felle, veneno sunt nocentiores, fugiamus in dolore autem pro peccatis concepto, in humilitate & patientia hic ita perseueremus, vt tecum in cœlesti patria lætari sine fine possimus.

CORONATIO.

*Regium capiti decus.*

Regis Christi Dñi dignitati, volentes impij milites illudere, chlamyde coccinea indutum corona spinea pro diademate, arundine pro sceptro, regijs scilicet insignijs ornant: & quamvis non aliud hic spectare videbantur, quàm vt & ludæis placerent, & crudelitatem suam Christi calamitate fatiarent; nobis tamen qui credimus, maxima sub hoc impio facto Sacramenta reliquerunt: quæ exponens Hilarius; Cælo inquit, Dño imponitur chlamys coccinea, & vestis purpurea, & corona spinea, & arundo dextra, & genu posito adoratur, illuditur, susceptis videlicet omnibus corporis nostri infirmitatibus, omnium deinde martyrum, quibus regnum secum erat debitum, sanguine in cocci colore perfunditur, preciosq; Prophetarum ac Patriarcharum in purpura honore vestitur. Spinis quoq; id est, compungentium quòdam peccatis gentiũ coronatur: vt ex rebus perniciosis atq; inutilibus, quæ capiti eius. 1. Deo circumdata moliuntur,

*Ioan: 19.**Canone 33
in Matt.*

gloria quæreretur. Peccatorum est enim aculeus in spinis, ex quibus Christi victoriæ corona textitur. In calamo vetò earūdem gentium infirmitas atq; immanitas manu comprehensa firmatur, quin etiam capiti eius illuditur. Capiti, vt opinor, de icū calami non grandis iniuria est, sed typica incoronatio seruat, vt infirmitas gentilium corporum manu Christi comprehensa etiam in Deum Patrem qui caput eius est acquiescat. In his autem omnibus Chrūs dum illuditur, adoratur Christum spinis coronandum aries ille præfigurabat, de quo scribitur;

Gen. 22.

Vidit post tergum arietem inter vepres harentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio.



Honores mundi istius tum diuitias, potentiam, siue gloriæ temporalis nitorem, non incongruè calamo vel arūdini comparari posse scribit Gregorius, qui cū locum il-

lum

lum scripturæ produxisset, Fulgebunt iusti & tanquam scintillæ in arundineto discurrent, Arundinetū vitam seculariū appellat: qui more arundinum per temporalem gloriam foris quasi adulta proficiūt, sed intus à soliditate veritatis inanescunt. Tanto enim apud semetipsos intus inanescunt, quāto alti & nitidi exterius ostenduntur: quia dum ad exteriorē gloriam per superficiem defluunt, nulla intus firmitate solidantur. More quippe calami intus sunt quidem per saturitatem vacui, sed foris per speciem & ostentationem pulchri. sed quanto ab eis exterior gloria studiosius quæritur, tantō eorum corda grauioribus cogitationum stimulis agitantur. Hactenus ille Sanctus Ecclesiæ Doctor: cuius verbis tanto maiorem nos adhibere fidem conuenit, quāto pluribus exemplis didicimus, mundanos honores citō pertransire, paruoq; negotio, cum *NIL SOLIDVM* in se habeant, instar calami conteri & dissipari. Vbi sunt etenim potissimi illi orbis monarchæ, quos ad celsissimam dignitatis & honoris sedem Fortuna euexerat? vbi splendor & maiestas & illustres superbiorum pompæ, quibus immortale sibi nomen in terra comparare studuerunt? Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, Vanitas vanitatum & omnia vanitas. Baculo arundineo videbantur inniti, qui contraetus lacerauit omnem humerum eorum. Quos enim honores sibi diuturnos fore pollicebantur, non ita multo post præterierunt: vnde temporis exigui voluptatem, doloribus cruciatuq; perpetuo commutarunt. Hoc igitur considerantes ab ambitione gloriolæq; cupiditate, quā maximè fieri potest, animum auocemus: & dum pro nobis *I ES VM* spinis coronatum cogitamus, minimè nobis esse licitum pompas honoresq; seculi studiose aucupari credamus; pro quibus Christus Deus Deiq; filius, ignominias, illusiones, & probra sustinere non dubitauit. Quæ frōre nanq; audebis, o Christiane, de temporali dignitate, celsioreq; honoris gradu cogitare; dum cœli terræq; Dñum aded humiliatū intueris, vt atrocissimis quibusq; ab ijs quos creauit, se supplicijs affici sustinuerit? Eiusne te corporis mem-

Moral. lib.
33. cap. 3.
Sap. 3.

Ecc. 1.

Ezech.
cap. 29.

esse dices, dum vt te habeant in oculis omnes, es sollicitus, cuius caput spinis coronatum, te ad modestiam & humilitatem, non reuocat? Abijciendus est amor sui nimius, quo ad tantam audaciam propelleris, vt te cæteris tantò digniorem melioremq; iudices, quantò maiore cum auiditate ad aucupandos honores accedis. Vide quid Sanctus ille pater Augustinus scribat; Quoties, inquit, hominibus præesse desidero, toties Deo meo præire contendo. Magna hæc temeritas est, cum quadam insigni impietate ac Impudentia coniuncta, Dei de se iudicium non expectare, sed quasi ipsi præeundo, vltro sese antequam voceris ad honores suscipiendos, ingerere. Fugiamus igitur cane peius & angue, honorum temporalium cupiditatem & appetentiam; quæ mentem perturbat, metum adfert, simulates nutrit, superbiam amoremq; sui gignit, pudorem extinguit, & ad ruinam exitiumq; multos deducit; qui crescendo, vt ait Gregorius, plerumq; decrescunt, & ascendendo exterius interius in profunda descendunt. Non respiciamus in vanitates & has insanias falsas: quæ quo pulchrius nitent, hoc maiores turpitudinũ suppe ditant occasiones, & incautos in extremum salutis periculum, miserè precipitant.

Psal. 39.

Psal. 33.

Eccl. 10.

Eccl. 6.

Eccl. 10.

I: IOAN. 2.

Deus qui oculos superbiorum humilias, humiles autem spiritu saluas: memoriam superbiorum perdis, & relinquis, memoriam humilium sensu gratiam tuam nobis tribue, vt mundi fallacis fastum & honores contemnamus; & non extollamus in cogitatione animas nostras, velut taurus, ne forte elidatur virtus nostra per stultitiam. Da, vt, quod à sapiente scriptum legimus, Omnis potentatus breuis vita, sic & Rex hodie est & cras morietur, eumq; morietur homo hæreditabit serpentes, & bestias, & vermes; id perpetuo mentibus nostris inhæreat, ne propter obliuionem mortis, in ambitionis & auaritiæ vitium turpiter prolabamur. Hanc nobis mentem tribue, vt ne diligamus mundum, neq; ea quæ in mundo sunt. Transit enim ille & concupiscentia eius: sed vt potius tibi, cui regnare est, in humilitate spiritus & obedientia

sancta subditi simus, te super omnia diligamus, honorem sanctissimi tui nominis, omnibus quæ in mûdo sunt, anteponamus: vt & ipsi post miseræ vitæ istius decursum, in cœlesti illa patria, gloria & honore, nunquam perituro, coronari mereamur.

CHRISTI CORONATI PRÆSENTATIO.



Factorem noscite vestrum.

CUm affectati Regni falsò Christum Iudæos insimulasse Pilatus animaduertisset, à morte innocentem liberare & omnem appetendi dominij, suspicionem à Christo cupiès dimouere, flagris crudeliter, caesum, corona spinea coronatû, toto corpore vulnerarum, Iudæis ex alto quodam loco spectandum exhibuit: vt ferocorum animos Christi ignominia mitigaret; Ecce inquit Rex vester: ac si diceret; Videtis quã humilis & afflictus sit is, quem vos in honoribus petendis nimis ambitiosum esse putatis: Non est cur vobis ab eo metuatis: Liberum iam abire finite. Cæterum Iudæi nihilo mi-

IOAN. 19.

tiores effecti, suave Christi iugum à ceruicibus suis prorsus deicere volentes non Regem sed Cæsarem se tantum habere velle conclamarunt. Sponte se reos professi sunt: ideo & Deus, quandoquidem primi à prouidentia & protectione ipsius se subdixerunt, tradidit eos voluntati eorum, & qui Christum regnare super se ferre non potuerunt, ij non solum sub Domini temporaria, sed sub Principe etiam huius mundi Diabolo æternam nunquam quoq; animarum seruitutem patiuntur. Pilatus veró gentium scilicet populus, qui Regé spinis coronatum libenter pro Rege, Domino, & creatore suo agnoscit, in perpetuam libertatem, è duris Sathanæ cõpedibus vindicatus; altissimum quoddam gloriæ tribunal, consequutus est: vnde plus quàm Ægyptiacam Iudæorum seruitutem spectans, & Christum pro salute nostra passum fidei charitatissq; brachijs tenens & amplexans, infidelibus Iudæis virilitatem vulnerum saluatoris ostentat, ad agnitionem veritatis quotidie vocat, & cum Propheta, non sine magna quadam commiseratione, nimium suæ salutis oblitos alloquitur.

Isaia 51.

Attendite ad petram vnde excisi estis: & ad cauernam laci, de qua præcisi estis.



Christi



Misericordiæ opera.

Christi vincti, spinis coronati, & purpura vestiti imaginē misericordiæ nomine multis appellare non est inusitatum. Cupiens etenim Christum à morte Pilatus liberare, Iudæis ita spectandum obtulit, vt animos eorum ad misericordiam flecteret. Minus tamen quam volebat ea ratione profecit apud eos, qui odio cæcati, planè totius humanitatis obliuisci fuerant, vt nulla Christi calamitate satiari potuerint, nisi morti viderent insuper adiudicatum. Hanc tantam eorum ferocitatem, quandoquidem sicuti debemus, meritò detestamur; omni studio prouideamus oportet, nisi Iudæorum similes videri velimus, vt proximo, quem in angustijs positum videmus, benignè compatiamur, misericordiæq; & charitatis viscera in eum effundamus, memores illius, quod sibi factum Christus interpretabitur, quicquid vni ex fratribus eius minimis humanitatis fuerit exhibitum. Nihil æquè commendare Christianum videtur, quam miseratio à vera charitate profecta. Hanc enim exhibere, si velint, possint omnes, tam diuites quam pauperes, tam domini quam serui: illi quidem

Ioan. 19.

Matt. 25.

cum potentiores sint facultates impartiendo, hi si aliud non possint voluntatem bonam adferendo. Quamobrem ut omnem excusationis transgrediendi præcepti huius, Christus nobis auferret occasionem; Quicumque inquit, potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine discipuli amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Ac si diceret; Qui multa habet, egentibus multa & debet & potest impartiri, tu autem qui minus abundas, quantum facultates tuæ permittunt (has enim aquæ frigidæ calix significare videtur) tantum proximo largire. Nec enim ad ea quæ non potes, præstanda teneris. Voluntas suppleat, quod facultas denegat. Cum itaque bene de proximo merendi ratio, nulli deesse possit, rectè per Prophetam Dominus misericordiam & miserationes facere unumquemque; CUM FRATRE suo iubet: quod qui facere negligit & ad clamorem pauperis aures obturat, excusari nullo modo poterit. Vel solus aquæ frigidæ calix, conscientiam illius accusabit, & neglecti Diuini præcepti crimine condemnabit. Studeamus igitur misericordes esse, sicut & pater noster misericors est. Memores finis calamitatis illius nostræ qua sub Diabolicæ potestatis tyrannide, perpetuo cruciandi eramus, nisi filius Dei unigenitus nostri miseratus, à tantis angustiis morte passionisque sua nos liberasset: cuius beneficii ut gratos nos exhibeamus, illorum qui, cum caro nostra sint, mutuo auxilio iuari à nobis postulant, vicissim misereamur, illis subueniamus, eos consolemur, necessitatibus eorum communicemus. Beati misericordes, inquit Christus, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Volumus à misera per misericordem Dominum liberari; simus & ipsi misericordes. Iustum enim est, ut qui à potentiore iuari volumus, adiuuemus & ipsi inferiorem, in quo potentiores esse videmur. Illud autem ad misericordiam nostris animos vel maxime commouebit, si proprii periculi cogitatio semper nobis ante oculos obuersetur. Nihil humanis rebus instabilius, nihil magis est mutabile. Quod igitur nobis, si in grauiore aliquas calamitates incideremus, ab alijs

 præstari

Matth. 10

Zach. 7.

Luc. 6.

Matt. 5.

præstari cuperemus; hoc dum possumus alijs exhibere nobis graue videri non debet. Postremò quod ab Hieronymo legimus annotatum, eius frequenter meminisse velimus; non memini, scribit ille, me legisse, mala morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit. Habet enim multos intercessores: & impossibile est multorum preces non exaudiri. Nulla cogitari maior sælicitas nec optari potest in hac vita, quàm ita mori vt semper viuas, ita viuere vt nunquam moriaris. Induamur ergo mitericordiz viscera, quæ eam nobis pariunt beatitudinem, vt perpetuò, & quidem sælicissime viuamus. Compatiamur afflictis, vt precibus eorum adiuti, in necessitatibus nostris à Domino protegi atq; audiri mereamur.

Domine qui multiplices diuitiarum tuarum thesauros per vniuersum genus humanum sparsisti, pauperibusq; spiritu, & humilibus gratiæ tuæ dona dedisti; sparge & in nos tuæ suauitatis abundantiam, vt pauperes spiritu effecti, proximo Charitatis officia alacriter exhibeamus. Da nobis aures Zeli, quæ clamorem pauperum audiant, & ad præcationem eorum inclinentur. Ecce misericordia tua, Domine super omnem carnem; quam quis adijciet enarrare? cõcede igitur vt & nos doctrinam miserationis excipientes, miserationem circa proximum habeamus. Utinam autem iudiciũ paremus iustitiam nobis, vt te in ijs qui esuriunt cibare, in ijs qui sitiunt, potare, in hospitibus & aduenis colligere, in nudis te operire, in infirmis visitare, in incarceratis te consolari, velimus: quo ante terribile iudicij tui tribunal constituti, vocem illam desideratissimam audiamus, Venite benedicti patris mei, possidere paratum vobis regnum à constitutione mundi,

In cap. ad
Napotian.

”

”

”

Psal. III.

Sap. I.

Eccl. 18.

Matt. 25.



SENTENTIA MORTIS.

*Sententia discors.*

Singularis fuit IESV CHRISTI nostri saluatoris innocentia, cui vel ab ipso iudice Pilato, dum mortis in eum sententiam ferret, graue cum primis testimonium fuit impartitum. Quis vnquam reus ita condemnatus est, vt purus & insons iudicis ore palam pronunciaretur? Damnari enim & absolui ita discrepare inter se videntur, vt in vno eodemq; reo locum simul habere non possint. Alio itaq; quodam Dei iudicio factum hoc est, vt omnibus innotesceret, Christum non pro suis, sed pro totius mudi peccatis indignissima quæque à Iudæis passum, ad extremum ad ignominiosam mortem crucis esse condemnatum. Pilatus itaq; iuxta illud Propheticum, Lauabo inter innocentes manus meas, accepit aquam, vt sicut Hieronymus docet, in lauacro manuum eius, gentiliū opera purgarentur: & ab impietate Iudæorū, qui clamauerunt, Crucifige eum, non alios faceret, quodammodo hoc contestans & dicens: Ego quidem innocentem volui li-


berare

Psal. 71.

Lib. 4. in
cap. Matt.
27.

berare; sed etiam seditio oritur, & perduellionis mihi contra Cæsarem crimen impingitur, Innocens ego sum à sanguine iusti huius. Iudex qui cogitur contra Christum sententiam ferre, non damnat oblatum, sed arguit offerentes, iustum esse pronuntians, qui crucifigendus est. Vos, inquit, videritis: Ego minister sum legum. Vestra vox sanguinem fundit. Vt quod de Christo morte adiudicando olim prædictum est, id magis etiam ad Iudæos ipsos, quam ad Pilatum referri posse videatur,

Captabunt in animam iusti, & sanguinem innocentem condemnabunt. Psal. 95.



Quo spectabilior est Pilati Præsidis iniquitas, qui contra propriæ mentis conscientiam, solo Cæsaris timore ductus agnum illum innocentissimum Christum IESVM morti adiudicavit, hoc maiori studio prouidere debent illi, qui iudicium munere funguntur, vt ne ad eundem ipsi quoque lapidem offendant. Non timore humano, non cupiditate, nō

amore vel odio personæ alicuius, prohiberi debent, quominus id, quod iustum esse vident, decernant. Quamobrem rectè libram in manibus gestare finguntur; vt, cum in ea facile appareat vtra pars alteri præponderet, quid æquale sit, idem proculdubio sibi faciendum esse intelligant, in conscientiæ rectæq; rationis trutina æquum & iniquum diligenter prius examinantes, atq; ita demum, id quod rectū esse animaduertunt statuentes, illius quod ipsis dictum est, memores; **Aperi os tuum; decerne QVOD IUSTVM EST,** & iudica inopem & pauperem. Habenda est iudicibus diligens æquitatis ratio. Qui enim aliter causam pauperis, aliter potentis; aliter sodalis aliter auditi ignoti, staterâ utiq; librat iniquâ. Nō solum autem iudex iniquus, sed, quemadmodum vtilis Beda scribit, & is etiam, qui sua bene gesta meliora quàm proximorum, & sua errata iudicat leuiora staterando, nec non & ille qui onera importabilia imponit in humeros hominum, ipse autem digito suo non vult tangere ea, etiâ ille qui bona in publico, & mala in occulto facit, p̄ iniquitate libræ dolosæ abominabitur à Domino. Et qui sinceriter agit in omnibus, qui causam æqua lance discernit, is nimirum iusti iudicis voluntati & actioni congruit. Hæc igitur iniustitiæ genera cognoscentes, cauere debemus, ne vel de aliorum factis temerarium iudicium proferamus, vel grauiora onera, quàm quæ sustinere possint, illis imponamus, vel Hypocrisis scelere ostentationisq; cupiditate nos obligemus. In omnibus his recta & regia via incedamus, nec ad dexteram nec ad sinistrâ deflectentes, sed quod æquitas ipsa dicat, id sequamur, sciens quod retribuet Dominus vnicuiq; secundum iustitiam cuiusq; & secundum puritatem manuum suarum retribuet illi. Si bona igitur nobis dari volumus à Dño. custodiamus vias ipsius, iudicia eius sint in conspectu nostro, iustitias eius non repellamus à nobis. Simus immaculati cum eo & obseruemus nos ab iniquitate nostra, vt nec Deo, nec proximo, nec nobis ipsis iniurij simus. Hoc enim est iustum esse, vnicuiq; quod suum est tribuendo, innocentiam & inte-

gritatem

Prou. 31.

Ib. 2. sup.
illud Prou.
statera do-
losa &c.

Psal. 17.

gritatem in omnibus vitæ actionibus conseruare. Tribuamꝰ Deo, qui illi debetur, cultum omnemq; reuerentiam & obedientiam: tribuamus superioribus non magis corporalem quàm spiritualemente subiectionem: tribuamus æqualibus auxiliũ, quò infirmitas iuuetur, consiliũ quò ignorantia erudiat: tribuamus subiectis custodiam & disciplinam vt peccata vitare, quæ autem vitare noluerint ea metu correctionis abijcere discant; tribuamus inimicis patientiam, vt in charitate furores eorum vincamus: tribuamus egenis misericordiam, vt inopiam eorũ beneficentia nostra subleuemus. Obediamus diuinæ legi tanquam superiori, dominemur carni tanquam inferiori. Hoc erit bonum iudicem esse, iudicijq; veritatem iudicare, si vnicuiq; quod suum est, tradiderimus. Illud etiam mentibus nostris infixum esse debet, quod ab Ethnico quodam scriptum legimꝰ; Quisquis iustitiam sectari desideras, prius Deum time & ama, vt ameris à Deo, amabis enim Deum, si in hoc illum imitaberis, vt velis omnibus prodesse, nulli nocere. Suũ igitur amorem Deo suum & proximo tribuere, & iustitiam sectari & diligere: qui facit iustus est, & in perpetuum viuet, & apud Dominum erit merces eius.

*Senec. 4
de virtut.*

Sap. 1.

Domine qui iustus es, & iustitias diligis, æquitatem videt vultus tuus: adimple propitiationem tuam in nobis, & ostende nobis viam æquitatis, vt iudices, quibus id oneris est impositum, iudicent populum iusto iudicio, nec in alterã partem declinent non accipiant personam nec munera; quæ excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum, sed iuste quod iustum est persequantur, vt viuant terramq; illam viuentium possideant. Largire etiam misericors Deus, vt non tantum iudices, sed omnes quoq; habitatores orbis iustitiam discant, veritatem tantum & pacem diligentes, in innocentiaq; cordis ambulantes. Da Domine vt ne proponamꝰ ante oculos nostros rem iniustam, mandata tua transgrediendo, voluntatiq; tuæ non obtemperando, ne in malitia nostra

Psal. 10.

Eccl. 18.

Deut. 17.

Isa. 26.

Zach. 8.

Psal. 100.

Phil. i.

consumpti intereamus. Charitas nostra magis ac magis abundet in scientia & in omni sensu, vt probemus potiora, vt firmus syncri, & sine offensa in diem Christi, repleti fructu iustitiæ per IESVM Christum in laudem & gloriam, tuam Domine Deus noster.

CRUCIS BAIVLATIO.



Hæc tutacula nudis.

AD quæuis incommoda facilius perferēda nullum præsentius remedium nobis relictum, ipsa nostri Saluatoris Cruce, debemus existimare: quam ipse suis humeris portare dignatus est, vt magistro, tantum onus absq; culpa sua ferente, discipuli quoq; minori negotio, quas peccata ipsorū pœnas merentur, perferre possint. Hæc afflictis solatium, ægris salutē, desolatis protectionem subministrat: nec tāta potest in mundo calamitas & angustia reperiri, quam Crux Dñi nostri Sacramentorum magnitudine tegere, & propul-


sare

fare non possit. Hinc est quod ad Crucem ferendam & Christus ipse nos hortatur, & exemplo Simonis etiam illius Cyrenæi ad id faciendum prouocamur: qui, cum extraneus fuerit, gentilem populum, cui verbum Crucis, virtus Dei erat futura, significare visus est. Indignus enim, inquit Hilarius, erat Iudæus Crucem Christi ferre: quia fidei gentium erat relictum & Crucem accipere, & compati. Simon quoque interpretatur obediens. Obediuit enim voci Domini populus gentium, fidem Christi suscipiens. Idololatriæ verò superstitione procul abijciens, iuxta illud Psalmi; Populus quem non cognoui seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. Quod autem Christus Crucem humeris ferendo, aduentus sui præsentiam mundo erat exhibiturus, Isaias manifestè prædixit;

I. Cor. I.
Can. 33.
in Matth.

Psal. 17.

Factus est principatus super humerum eius. Isaiæ 9.



Dominum IESVM Crucem humeris suis ad montem Caluarie portantem cogitantes; omni studio contendere debemus, vt si Christo compati volumus, in perferen-

dis varijs vitæ præsentis tentationibus & tribulationibus fortes & intrepidus nos exhibere discam⁹. Hoc enim est crucem humeris ferre, quascunq; angustias propter Deum fortiter atq; excelsò animo tolerare: quam ad rem vel hac vna cogitatione maximè excitabimur, si agnum illum innocentissimum Christum Dominum pro peccatis nostris, tam multa crudelia passum altius memoria repetierimus. Quid enim nobis tam graue potest hic accidere, quod non pro peccatis nostris perferre promeriti simus? Peccatis nostris pœnas habundum hic tribulamur deberi cogitemus, cogitantes ad fortitudinem & tolerantiam nos præparemus. Fiet autem hoc si quibus in rebus animi fortitudinem maximè spectari scribit Ambrosius, in ijs operam nostram omnem posuerimus. Primò vt exteriora corporis pro minimis habeamus, & quasi superflua despicienda magis quam expetenda ducamus, Secundò vt ea quæ summa sunt, omnesq; res in quibus est honestas, præclara animi intentione vsq; ad effectum prosequamur. Ex humanarum igitur rerum despicientia, honestatis autè & virtutis amore, nascetur illud animi robur, quod nec blanditijs vitæ nec periculorum metu, nos ab eo quod rectum est, abduci patietur: quodq; apud Prophetam scriptum est, Dabit Domin⁹ vt adamantem & vt siliicem faciem nostram, vt à nullo rimere, à nullius facie metuere possimus, quicumq; nos persequi, & à recto viuendi statu ad turpitudinem aliquam pertrahere conatus fuerit. Adamas nulla ferri duritie frangitur, nullis malleorum ictibus atteritur. Talis est viri fortis animus, qui in bono obfirmatus, impetus fortunæ retundit, tērationes inimici fortiter repellit; & quæadmodum Adamas non nisi hircino, sic ille non nisi sanguine ipsius Christi; qui in cruce mortuus, tanquam hircus pro peccato nobis oblatio factus est; mollitur, non ad malum sed ad bonum, non ad vitia sed ad virtutes: vt cor non lapideum sed carneum habens, in Dei præceptis ambulet & iudicia eius custodiat. Fortitudinem iustorum hanc esse vult Gregorius carnem vincere, proprijs voluntatibus contraire,

delectatio-

Amb. lib.
1. de offic.

Ezech. 3.

Ezech. 11.

1. 8. Mor.

delectationem vitæ præsentis extinguere, huius mundi aspera pro æternis præmijs amare, prosperitatis blandimenta contemnere, aduersitatis metum in corde superare. Hæc qui facit, fortis, robustus est, aduersarioq; suo Diabolo terribilis, cui fortis, in fide resistit, resistendo autem eum superat & vincit. Tentat ille per instrumenta sua, varièq; cruciat & affligit homines, si quis tamen æternorum gaudiorum pulchritudinem consideret, carcer hic nec grauis, nec diuturnus illi videbitur. Habet tribulationem tanquam dierum, decem, quæ præterit citò. Temporaria nanq; est; porro gaudia cœlestia sunt æterna. Qui habet igitur aurè audiat, quid spiritus dicat Ecclesijs; qui vicerit *NON LÆDETVR* à morte secunda, Qui accinctus potentia & fortitudinis robore, vicerit eam, mundum, & Diabolum, non lædetur; non quidem ab hac morte prima, cum statutum sit omnibus hominibus semel mori, sed ab illa secunda morte; quæ in damnatos id iuris habebit, vt in igne, in doloribus cruciatuq; sempiterno viuentes, semper misere moriantur. Fortis igitur & constans, qui mortem illam secundam cogitans, non læditur hic à concupiscentijs & voluptatibus mundi; non lædetur & in futuro sæculo ab igne illo, qui præparatus est Diabolo & Angelis eius. Licet Adamas hic tundatur tentationum, iniuriarum detractio, & afflictionum malleo, perstat nihilominus firmus in via Domini: & in veritate sensus sui, & in scientia.

*Apoc. 2.**Ibid.**Ecc. 5.*

Tu ergo Rex gloriæ Deus, qui es Dominus fortis & potens, Dominus potens reple nos fortitudine spiritus tui, iudicio & virtute, vt te solum Diuinamque tuam legem præ oculis habentes, veluti leones ad nullius tentationis; pauemus occursum. Sit nobis turris fortissima nomen tuum ad quam in angustijs nostris recurrentes exaltari possimus. Ne nos quasi pigros deiiciat timor, quoties cum aduersario nobis est colluctandum; sed da in animo nostro constantiam vt contemnamus illum, & virtutem


*Psal. 23.**Mich. 3.**Prou. 30.**Frou. 18.**Iudib. 9.*

vt auer-

vt auertamus illum. Placeat tibi humilium & mansuetorum deprecatio Memento, Domine, testamenti tui, & da verbum in ore nostro, & in corde nostro consilium corrobora, vt domus tua corpora scilicet nostra, quæ per grām tuæ visitationis inhabitas, in sanctificatione tua permaneat. Accinge fortitudine lumbos nostros, & roborā brachium nostrum. vt & voluptates carnis superare, illas iniurias, & Crucem quam peccata nostra merentur sufferre, te adiuuante possimus.

Præc. 31

CHRISTI MORS IN CRUCE.



Stillant roribus arbor.

CRUX Domini nostri IESU CHRISTI, cuius plurimo sudore & sanguine mundo pax & victoria parta est, speciem quandam quatuor cardinum orbis repræsentat. Superior enim Orientem, inferior Occidentem; dextra septemtrionem, sinistra autem illius pars Meridiem designare videtur; vt ad omnes orbis plagas, passionis & mortis Christi meritum

se exten-

se extendere quiuis intelligat. Augustinus latitudinem illā cuius Paulus meminit, longitudinem: sublimitatem & profundum in Cruce pulchrè ostendit expressam; Lata est, inquit, Crux in transuerso ligno, quo extenduntur pendentis manus, & significat opera bona in latitudine charitatis. Longa est à transuerso ligno vsq; ad terram, vbi dorsum pedesq; figuntur, & significat perseuerantiam in longitudine temporis vsq; in finem. Alta est in cacumine quod per transuersum lignum sursum versum excedit, & significat supernum finem quo cuncta opera referuntur, quoniam cuncta quæ latitudine ac longitudine benè ac perseueranter fiunt, propter altitudinem Diuinorum facienda sunt præmiorum. Profunda est in ea parte qua in terra figitur; ibi quippe & occulta est, nec videri potest, sed cuncta eius apparentia & eminentia inde consurgunt, sicut bona nostra de profunditate gratiæ Dei, quæ comprehendī ac diiudicari non potest, vniuersa procedunt. Cæterum cur eo potissimum supplicij genere Chrūs affici voluerit, vel illa præcipua causa est, quòd redemptioni nostræ hæc moriendi ratio maximè conuenire videbatur, ad satisfaciendum pro peccato primi hominis: qui sicut in ligno peccauit, ita Christus secundus Adam peccatum ipsius per lignum quoq; abolere, atq; ita iustitiæ Diuinæ satisfacere voluit; iuxta illud quod scriptum est;

*Eph. 3.
Tract. 18.
in Ioan.*

Benedictum lignum per quod fit iustitia.

Sap. 14.





CRUCEM & MORTEM DOMINI PRÆ OCVLIS HABENTES, ID POTISSIMUM CURARE DEBEMUS, VT ABNEGANTES NOSMETIPLOS VOLUNTATEMQUE NOSTRAM, CRUCI CHRISTI CONFIGAMUS: OMNES VITÆ NOSTRÆ ACTIONES, QUÆ MANUÛ NOMINE FREQUENTER IN SCRIPTURIS VOCANTUR, AD EUM FINEM DIRIGENDO, VT CUIUS DOCTRINAM PROFITEMUR, EIUŠ ETIAM ACTIONES, QUAM MAXIMÈ POSSVMS IMITEMUR: QUÒ PER LEGEM IUSTITIÆ LEGI PECCATI MORTUI DEO VIUAMUS, CARNEMQUE NOSTRAM CVM VITIJS & CONCVPIŒNTIJS ITA CRUCIFIGAMUS, VT, QUOD OLIM PAVLVS, IDEM VNVSQVÏS: NOSTRÛ DICERE, ATQUE IN DÑO POSSIT GLORIARI, CHRISTO CONFIXVS SIM CRUCI, VIVO AUTEM IAM NON EGO, VIUIT VERÒ IN ME CHRISTVS. QUÆ VERBA EXPLICANS AMBROSIVS, HIC, INQUIT, CONFIGITVR CRUCI CHRISTI, QUI ÆMVLVS VESTIGIORVM EIVS, NULLA MUNDI CONCVPIŒNTIA CAPITVR, VT DEO VIUENS, MUNDO MORTVVS ESSE VIDEATUR. QUI ENIM NON AGIT, QUÆ MUNDI SUNT VEL ERRORIS, MORTVVS EST MUNDO. ÆMVLARI IGITVR VESTIGIA CHRISTI DEBEMVS, SI MORTIS PASSIONISQUE IPSIVS PARTICIPES EFFICI, SI VERI IPSIVS IMITATORES DICI & ESSE VOLVMS. HOC ENIM VT FACIAMVS, IPSE QUO-

Galat. 2.

In Com-
Ep: ad Ga-
Capit. 2.

que

que Saluator nos admonet inquit, Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Recte abnegare semetipsum, & tollere crucem suam dicitur ille quisquis volūtate propria reiecta, post concupiscentias suas non it, sed charitate Dei proximiq; inflammatus corpus affligit, peccandi occasiones vitat, & de virtute in virtutem progredi festinat. Talis nō modo ferre Crucē, sed & Cruci affixus esse videtur, qui desideria praua ita cohibet, vt extrema quæq; perpeti satius esse ducat, quàm aliquid Diuinæ voluntati contrarium faciat. Qui cruci affixus est pro animisui motu; membra corporis sui mouere non valet, idem facit qui spiritualiter crucifixus est CVM CHRISTO Non hoc quod affectus carnis suggerunt, non quod suaue illi videtur id agit, sed voluntatem suam legi Diuinæ, timoris, amoris, & obedientiæ clavis affigit, vt soli Deo viuere, mundo autem planè mortuus esse videatur. O verè sælix & beatus ille est, qui quotidie ita moritur: vivet enim semper. Verè sælix & beatus ille est, qui quotidie Crucem hāc fert: non confundetur nanq; in æternum. Renunciandum igitur est propriæ voluntati; caro in obsequium spiritus reddenda: ne, si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, faciat te in gaudium inimicis tuis, Sathanæ videlicet ab Angelis eius, qui nihil magis cupit & elaborat, quàm vt hominem à Deo auersum, ad carnis desideria perficienda pertrahere possit. Quàm autem graue scelus sit hoc, Dei mandatis postpositis propriæ voluntati adhærere pulchrè docet Bernardus; Propria voluntas, inquit, omnino vellet Deum peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut ea nesciri. Vult ergo eum non esse Deum; quæ quantum in ipsa est, vult eum aut impotentem, aut iniustum aut insipientē esse. Crudelis planè est & omnino execranda malitia. quæ Dei potentiam, iustitiam, sapientiam perire desiderat. Qui autem vult Deum esse iniustum, vult Deum non esse Deum, & qui desiderat Deum non esse, nonne quantum in se est, Deum occidit? Ecce igitur scelus quo cogitari nullū maius potest, in quod

Luc. 7.

Eccle. 18.

Eccle. 18.

Ser. 3. de Resur. Dni

prolabi toties videmur, quoties carnî potiùs quàm spiritui morem gerentes, nosmetipfos non abnegamus, & in peccatis persistimus. Quamobrem custodiamus spiritum nostrum & vigilemus, nos imperio hostis illius subtrahentes, quem si volumus, Dei auxilio freti, nobis subjicere possumus. Voluntas, inquit quidam, beatæ & miseræ vita sibi causa est. Prouideamus itaq;, quandoquidem velle in manu nostra est, vt ne nobis æternæ miseræ, sed felicitatis potiùs æternæ causa simus. Crudele enim est sui nolle misereri, & quasi sibi metipso manus violentas iniicere velle.


Sen. Ep. 27

Matt. I 6.

Domine **I E S V** qui dixisti; Qui voluerit animâ suam saluam facere perdet eam, qui autem perdidit animam suam propter me inueniet eam; da vt in hac lachrymarû valle constituti, miserum corpus hoc ita tractemus, vt anima, saluari, ita mortificemus, vt illa viuificari queat. Affige nos sanctissimæ Cruci tuæ, vt in eius iugi assiduâq; meditatione versemur, & à terrenis eleuati, ad cœlestia semper aspiremus. Passionis & mortis tuæ memoria nunquam recedat à nobis, vt precium quo nos à durissima Diaboli seruitute redemisti; cōtinuo aspiciamus, tibi pro tanto beneficio gratias agamus. te amemus, peccata fugiamus, virtutem, pietatē, iustitiam amplectamur. Trahe nos post te Domine quo ipse præcessisti: membra nostra mortifica, mentem humilia spiritum exalta. Exaudi nos, vt abnegâtes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, & iustè, & pie viuamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem & aduentum tuum, quando cum gloria venturus es iudicare viuos & mortuos.



VESTIVM DIVISIO.

*Vt vestiat omnes.*

Christo iam in Cruce pendente, ne quid in eum contumeliarum prætermitteretur, milites vestimenta illius in quatuor partes diuiserunt, de tunica vero inconsutili sortiti sunt. Quæ res licet ex mera impiorum insolentia profecta fuerit, magnis tamen Sacramentis cumprimis abundat. Quadripartita enim vestis Domini nostri IESV Christi

Ioan. 19.

Tract. 118
in Ioan.

quadripartitam, vt Augustinus interpretatur, eius figurauit Ecclesiam, toto scilicet, qui quatuor partibus constat, terrarum orbe diffusam; & omnibus eiusdem partibus, æqualiter id est concorditer distributam. Propter quod alibi dicit missurum se angelos suos vt colligant electos eius à quatuor ventis Quod quid est nisi à quatuor partibus mundi, Oriente, Occidente, Aquilone, & Meridie. Tunica verò illa sortita omnium partium scāt vnitatem, quæ charitatis vinculo continetur. Inconsutilis autem est, ne aliquando dissuatur. Et ad vnum peruenit, quia in vnum omnes colligit. In forte autem gratia Dei commendata est. Sic quippe in vno ad omnes peruenit, cum fors quoq; omnibus placuit: quia & Dei gratia in vnitatem ad omnes peruenit, & cum fors mittitur, non personæ vel cuiusq; meritis, sed occulto Dei iudicio creditur Diuisionem autem vestium Christi ideo factam scribunt Euangelistæ, vt, quod olim scriptum fuerat, adimpleretur;

Psal. 21.

Diuiserunt sibi vestimenta mea; & super vestem meam miserunt sortem.



Diabolum

Dlabolum diffensionis & diuisionis auctorem esse, vel illa vestium Christi diuisionis, quam per impios illos milites, tanquam membra sua, procurauerat, manifestè videtur innuere. Quod enim tunc in vestimentis illis per milites, idè & nunc in Ecclesiæ vnitatem, quæ Christi tunica est inconsutilis, scindenda & diuidenda facere non cessat per satellites suos Schismaticos & Hæreticos: qui vt se ueros illius esse ministros ostendant, non in quatuor sed in infinitas prope partes, dum suam quisq; opinionem sequitur, Ecclesiæ vnitatem diuidere conantur. Horum impietatem, cæcamq; quãdam temeritatem quantò magis abominamur, tantò diligentius prouidere debemus, vt quos Catholicæ fidei veritas sanctissimo concordia & vnitatis vinculo coniunxit, eos morù dissimilitudo, voluntatumq; in ijs quæ ad vitam præsentem spectant, diffensio ne disiungat. Hoc enim potissimum argumento Deum in nobis manere demonstratur, si charitatem vnitatis in vinculo pacis retineamus. Hoc Christus ipse, hoc & Apostoli illius, omnibus ijs qui Christiano nomine censentur, vel maximè inculcarunt, vt pacem cum Deo, pacem cum hominibus conseruent & habeant. Pacem cù Deo habere, est à peccatis abstinere & in omnibus his quæ ad fidem religionemq; pertinent cum Ecclesia Catholica, quæ corpus ipsius est mysticum, consentire & concordare. Pacem porò cum hominibus illi colunt, qui idem sapientes, eandem charitatem habentes, vnanimes id ipsum sentientes, nihil per contentionem neq; per inanem gloriam faciunt, sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes, non ea quæ sua sunt singuli considerant, sed ea quæ aliorum. Hanc ad Deum & ad homines habere nos pacem voluit Apostolus Paulus ad Romanos scribens; *QVÆ PACIS SVNT*, inquit, sectemur & quæ ædificationis sunt inuicè custodiamus. Omnes sanè viræ nostræ actiones, in eum finem dirigi debent, vt nulli noceamus, proximos autè omnibus, quod assequemur, si diligenter curauerimus vt ne scādali alicui offensionē alijs præbeamus.

Phil. 2.

Rom. 14.

Hoc enim est alicui nocere illum malo exemplo ad peccandum, atq; ita ad iram Dei promerendam, inducere. Ad ædificationem igitur omnia sunt referenda, vt ad virtutum & pietatis amorem quamplurimos dictis & factis pertrahere possim9, quod quoniam absq; inuicem charitate & concordia fieri non potest, danda est opera, vt humanitate beneuolentia, humilitate, patientia, mansuetudine nobis quàm plurimos deuincire studeamus. Ita enim quod Apostolus monet, pacem sequemur cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. In signum igitur concordia, qua coniuncti esse debemus inuicem, dextram dextræ coniunctam, cum oliuæ ramis, abundantia q; vt vocant, cornu, in symbolo hoc expressimus, innuere volentes; qui Christo nomen dederunt, eos in terris fide & dilectione vnitos esse debere, si cœlestis dulcedinis pinguedine repleri, æternæq; beatitudinis fructu & vbertate ditari desiderant. Nihil enim virtute dilectionis Deo gratius, nihil charitatis concordia apud eum preciosius; vt quicquid tandem boni absq; hac fiat, sibi nequaquam placere posse, ipsemet non obscure fateatur, inquit, si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Quem locum Euangelij posteaquã Gregorius Pontifex produxisset; Ecce, inquit, à discordantibus non vult accipere sacrificium, holocaustum suscipere recusat. Hinc ergo perpendite, quantum sit malū discordia, propter quod & illud abiicitur, per quod culpa laxatur Hæc itaq; considerantes, diligamus inuicem, concordiam fratrum, amorem proximorum inter nos habeamus; & quandoquidem in vna Sancta Catholica, & Apostolica Ecclesia constituti sumus, ambulemus in domo Domini cum consensu, vt ne vnus aduersus alterum infletur pro alio, sed totius multitudinis credentium sit cor vnum, & anima vna, quo vnusquisque nostrum proximo suo placeat in bonum ad ædificationem, & concordia fructu degustato,

eos

*Hæbr. 12.**Matth. 5.**Lib. 1 sup.**Eze. Hb. 8.*

“

“

“

*Eccl. 25.**Psal. 54.**1. Cor. 4.**Actor. 4.**Rom. 15.**Psal. 132.*

eos qui ab unitate discesserunt, cum Propheta possit ad eam
nuitare. Ecce quàm bonum & quàm iucundū habitare fra-
tres in vnum. Quoniam illic mandauit Dñs benedictionem
& vitam vsq; in sæculum.

Dñe IESV Christe, qui transiturus de hoc mundo, pro
eis qui credituri erant per verbum Apostolorum tuorum
in te, patrem deprecatus es, vt omnes vnū essent, sicut pater
in te, & tu in patre: da vt precum illarum tuarum vim atq;
efficaciam in nobis salutarem sentiam9; vt simus consumma-
ti in vnum, vt id ipsum sapere in alterutrum secundum te,
& vnanimes vno ore honorificare te Deum, & Patrem tuum,
Dñe noster IESV Christe, possimus. Reple nos omni gaudio
& pace, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni
pietate & castitate. Inclina corda nostra quasi viri vnus, vt in
fide vnanimes, compatientes, fraternitatis amatores, miseri-
cordes, modesti, humiles simus; non reddentes malum pro
malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario bene-
dicentes. Da nobis cor vnum, & spiritum nouum tribue in
visceribus nostris, vt in præceptis tuis ambulantes, & iudi-
cia tua custodientes, concordia, pacis, vnitatis, charitatis, &
dilectionis nodo ira adstringamur, ne nos Diaboli qui
inter fratres diuidit fraudes, ab amore mutuo,
possint vnquam separare.

Ioan. 17.

Rom. 15.

I. Tim. 2.


I. Reg. 19

I. Pet. 3.

Eccl. 11.



TENEBRÆ.

*Hac violentia calo.*

Quo tempore Christus IESVS verus iustitiæ sol in ligno Crucis fuit appensus, creatura sui Creatoris iniuriam ferre non valens sol videlicet ipse, quem quotidie aspicimus, radios suos, ne videret impiorum facinora, retraxit; vt à sexta hora vsq; ad nonam densissimæ tenebræ terram vniuersam occuparent: cuius rei sacramenta explicans Origenes, Duas Creaturas in sexta die factas fuisse scribit, ante sextam quidem animalia, in sexta verò hominem: & ideo conueniebat, inquit, pro salute hominis morientem, ipsa hora sexta suspendi; ac à sexta hora propter hoc tenebras fuisse factas super omnem terram. Et sicut in Moyse manus extendente in cælum, factæ sunt tenebræ super Ægyptios, seruos Dei tenentes in seruitute, imago futurarum tenebrarum quæ cõpræhensuræ fuerant Ægyptios: similiter & Christo in sexta hora manus extendente in Cruce ad cælum super populum

Hom. 35.
in Matth.

qui clamauerat. Tolle de terra hunc & crucifige, crucifige eum, factæ sunt tenebræ, & ab omni lumine sunt priuati, & imago fuit tenebrarum illarum futurarum, quæ comprehensuræ fuerant gentem Iudaicâ, quia ausi sunt lumini uero manus suas inferre. Vnde ex tunc, Omnis illa gens tenebris est repleta, sicut dicit Propheta; Obscurentur oculi eorum ne videant. Item sub Moysè factæ sunt tenebræ & caligo super omnem terram Ægypti, tribus diebus, & nemo uidit fratrem suum, neq; surrexit de lecto suo aliquis tribus diebus. Omnibus autem filijs Israel erat lumen in omnibus locis in quibus commorabantur. Sub Christo autem tenebræ factæ sunt super omnem terram Iudæam tribus horis, lumen autem fuit super omnem reliquam terram, quod ubiq; illuminat omnem Ecclesiam Dei in Christo. Et si usq; ad nonam horam tenebræ fuerunt super omnem terram Iudæam, manifestum est quod iterum lumen eius refulsit, quia cum plenitudo gentium intrauerit, tunc omnis Israel saluus futurus est. Quod autem tribus horis factæ sunt tenebræ super terram Iudæam, illud ostendit, quod propter peccata sua priuati sunt à lumine Dei patris, & à splendore Christi, & ab illuminatione spiritus sancti. Porrò de tenebris ijs quæ sub ipsam passionem Christi Iudæam obscurauerant, apud

Psal. 68.

Ezechielem apertis uerbis scriptum legimus;

Et operiam, cum extinctus fueris calos, & nigrescere faciam stellas eius: solem nube tegam: & luna non dabit lumen suum. Omnia luminaria cali morere faciam super te, & dabo tenebras super terram tuam, dicit Dñs Deus.

Ezech. 32.





Compunctio

Quandoquidem Christo in Cruce pendenti non modò cælum ipsum, sed terra ac saxa quoq; muta condoluerunt; etiam atq; etiam cogitandum nobis est, quàm ab omni pietate Christiana sit alienum, *IESVM* Cruci affixum propter hominum peccata videre, neq; tamen angî dolore, quòd scelera nostra tam ignominiosæ mortis filio Dei causâ fuerint. Ecce à facie eius contremuit terra, moti sunt cæli, sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum. Omnis creatura in morte Creatoris ingemiscit. Quid faciemus nos? Nunquid opus manuum illius non sumus & nos? Nunquid manibus eius plasmati non sumus? Tantò maiore sanè dolorem ex recordatione Dñicæ passionis haurire debemus, quantò rebus his, quæ propter nos creatæ sunt, esse superiores videmur. Quod igitur Propheta facere, nos monet, inquit; scindite corda vestra, & non vesti menta vestra; hoc, & peccati magnitudinem, & passionis Christi, per quam peccatum est abolitum, & acerbiteriam præ oculis habentes, sedulò facere tenemur, vt dolorem internæ compunctionis

Joel. 2.

Iob. 10.

4. Esdr. 8.

Joel. 2..

in cordibus nostris habeamus, nisi saxis ipsis duriores videri velimus. Rugiamus à gemitu cordis nostri, quòd tam clemētem & benignum Dominum offenderimus, qui vt seruos redimeret, sanctissimum corpus suum, omni prius suppliciorum genere affectum, in ara Crucis maſtandum sponte obtulit. Dolor hic noster sit in conspectu nostro semper, qui nos ad amandum Deum prouocet, ad fugienda peccata, pœnitentiãq; pro illis agendam stimulet, & ad maiorem vilitatem nostram, illud cum Dauide peccata sua lachrymis abluente, vnumquenq; dicere compellat. Iniquitatē meam annuntiabo, & cogitabo PRO PECCATO MEO. Ille dicendus est iniquitatem suam annuntiare, qui quod peccando Deum offenderit, per puram confessionem coram sacerdote, ligandi soluendiq; conscientias potestatem habente, factam, Domino sua delicta recensere non erubescit, memor illius quod scriptum est; Pro anima tua non confundaris dicere verum. Est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam & gratiam. Pro peccato, vt ait Gregorius, cogitare, est delectationi præteritæ dignam carnis afflictionem proponere. Ille cogitat igitur pro peccato qui eius turpitudine Diuinãq; pulchritudine & bonitate diligentius considerata, se deliquisse dolet, corpus suum affligit, & castigat; & (qua vna re plerunq; serui delinquentes Dominos ad misericordiam flectere solent) errorē suum ipsemet fatetur, quæuis flegella sustinere paratus, dummodo in gratiam à qua exciderat. restituatur. Qui igitur ita pro peccato cogitat, qui iniquitatem suam annuntiat, ille proculdubio cor suum & non vestimentum suum scindere dicetur. Prophetæ locum hunc explicans Hieronymus; Consuetudinis est, inquit, vt in tristibus atq; aduersis scindatis vestes, quod & Pontifex ad Domini saluatoris crimen augendum, in Euangelio fecisse memoratur; & Paulum & Barnabam audientes verba, blasphemix legimus perpetrasse. Idcirco ego præcipio vobis ut nequaquam scindatis vestimenta, sed corda quæ plena sunt peccatis, quæ instar vrium, nisi scissa fuerint, sponte rumpē-

Psal. 37.

Ecccl. 4.

In I. Reg.
cap. 2.In Icel.
cap. 2.Matt. 26.
Actor. 14.

tur: cumq; hoc feceritis, redire ad Dñum Deum vestrum quem vobis priora peccata vestra alienum fecerant, nec desperetis veniam scelerum magnitudine; quia magna peccata magna delebit misericordia. Hactenus Hieronymus; cui cum Propheta nos monenti, tantò magis debemus obtemperare, quantò corda nostra peccatis onustiora videmus. Dum enim cor ita vulneratur, sanatur: dum sic affligitur, solatijs abundat, quòd ampliores hic suffert dolores, noc maiori post lætitia cumulabitur. Non alia res igitur maiori nos afficiat molestia quàm præteritorum delictorum memoria; quæ efficiet, vt & à futuris misericordia Diuina accedente, facilius nobis caueamus, & ad mundi istius voluptates turpitudinumq; illecebras è cordibus nostris, exterminandas vehementius animû adijciamus. Neq; moueat quenquã, vt ait Ambrosius, quòd luctus, dolor, commaceratio corporis grauissimæ passionones sunt. Etsi grauissimæ videntur, tamen, indignæ sunt huiusmodi passionones ad superuenturam gloriam, sicut testis est Apostolus Paulus, Non pigeat ergo nos hîc leuiora ferre, vt ibi plena laudis & gloriæ possimus adipisci, pro temporali- bus laboribus perpetua præmia reportantes.

Domine qui te amantium luctum conuertis in gaudium, & consolaris eos, & lætificas à dolore ipsorû, vt nos in futuro sæculo lætifices dum in hac vita sumus nò concede requiescere spiritum nostrum, sed reple nos amaritudinibus: quo peccatorum admissorum magnitudinem, iugi lachrymarum imbre abluamus: & passionis vnigeniti filij tui memoriã conseruantes quòd eò peccata nostra illû detruserint ingemiscamus & doleamus. Saucia tu ipse Dñe IESV corda nostra amore tuo, vt nil aliud desideremus, nil concupiscamus ardētius, quàm in vulneribus tuis abscondi, in cicatricû tuarû contemplatione versari. Da vt in orationibus & obsecrationibus nostris, cum dolore, & fletu, & planctu, pænitiã exerceamus, sordes & vulnera consciētiae nostræ tibi detegamus. Tu enim ea curas, & non pollueris, tu nos adiuuas, & nò cõtaminaris. Quia Deus salutis es Dñe; & manus tua non perdere sed sanare consuevit.


in Psal. 27.

Rom. 8.

Ier. 31.
Iob. 9.

Ambro. in
Psal. 37.

SEPVLTURA.

*Mors denicta iacet.*

Seriem Dominiæ sepulturæ recensens Hilarius, mysteria ipsius pulchre & eleganter aperit. Joseph, inquit. Apostolorum habet speciem, & idcirco quanquam in duodecim Apostolorum numero non fuerit, discipulus Domini nuncupatur. Hic munda syndone corpus inuoluit. Et quidem in hoc eodem linteo reperimus de cælo ad Petrum vniuersorū animantium genera summissa. Ex quo sortè non superflue intelligitur sub linteï huius nomine consepeliri Christo Ecclesiam: quia tum in eo, vt in confusione Ecclesiæ mundorum atq; immundorū animalium fuerit congesta diuersitas. Domini igitur corpus tanquam per Apostolorum doctrinam infertur in vacuum & in nouam requiem lapidis excisi, scilicet in pectus duritiæ gentilis quodam doctrinæ opere excisum Christus infertur, rude scilicet ac nouū, & nullo antea ingressu timoris Dei peruium. Et quia nihil est quod præter eum oporteat in pectora nostra penetrare, lapidis ostio aduoluitur: vt quia nullus antea in nos diuinæ cognitionis auctor

Canon. 33
in Matih.

Actor. 10.

fuerat

fuerat illatus, nullus absq; eo postea interatur. Metus deinde furandi corporis & sepulchri custodia atq; obsignatio, stultitiæ atq; infidelitatis testimonium est: quod signare sepulchrum eius voluerint, cuius præcepto conspexissent de sepulchro mortuum sulcitatam. Typus Christi in sepulchro concludendi in Iona quondam præcesserat, qui & ipse tribus diebus & noctibus in ventre ceti, quasi tumulo quodam, delituit;

Iona. 2.

Et preparavit Dominus piscem grandem ut deglutiret Ionam: & erat Ionas in ventre piscis, tribus diebus & tribus noctibus:



Contemplatio.

CVM Christo in Sepulchro reposito; omnes etiam illos requiescere arbitramur, qui post edomitos affectus tenusq; mortificatos mûdo mortui; in sola beatitudinis æternæ contemplatione conquiescunt, ac tanto beatiores sunt, quârò á noxijs cupiditatibus & huius seculi tumultibus magis sunt remoti. Licet enim in terris degant, euolant nihilomi-

nus ad superiora, & cum liberis habeant cogitationes ea sola inueniuntur, quæ ad animæ salutem gloriæq; cælestis pulchritudinem pertinere arbitrântur. Maxima sanè contemplationis laus hæc est, quod per eam homines diuinitatis quodammodo participes fiunt mortales immortalitatis suauitatem degustant terreni cælis inferuntur. Hanc igitur ob causam in hoc symbolo contemplationis, alas duas charitatem Dei & proximi designantes expressimus; quæ Cælestium desiderio rapiunt animam tantò ardentio rem, vt ait Augustinus. quantò mundiorem, & tantò mundiorem, quantò ad spiritualia surgentem, quanto carnalibus desiderijs & terrenis affectibus morientem. Quoniam autem vir perfectus, pius vitæ quam Actiuam vocant opera exercet; deinde verò sensim transit ad eam quæ in contemplatione versatur, ideo pennis istis manus adiunximus illud Ezechielis, & similitudo manus hominis subrus pennas eorum erat. *Quem* scripturæ locum producens Gregorius; Quid per pennas; inquit animalium, nisi contemplationes possumus sentire sanctorum, quibus ad summa transtulant, & terrena deserentes, sese in cælestibus librant? Quid per manus nisi operationes accipimus? Quia cum in proximi amore se dilatant, bona quæ præualent etiam corporaliter administrant. Sed manus eorum subpennis sunt: quia actionis suæ opera virtute contemplationis vincunt. Ad eum igitur modum actiones & ipsi nostras disponere debemus, qui Christo conspeli, à mundo scilicet abstrahi, & in contemplationis profunditatem immergi desideramus; vt per operationes bonas primum nos hic exerceamus, deinde verò ad altiorem perfectionis gradum aspirantes, opera ipsa contemplationis virtute superemus. Eum siquidem ordinem David Propheta nobis præscripsisse videtur inquit; In mandatis tuis EXERCEBO ET CONSIDERABO vias tuas: vt prius nos in mandatis Domini exerceamus faciendo bona deinde vias eius consideremus, contemplando cælestia. Ille enim in mandatis Domini exercetur, qui suscipiendo peregrinum,

*Lib. 1. de
Trinit.*

*Ezech. 1.
Li. 6. mor.
capit. 18.*

Psal. 118.

vestiēdo nudum, gubernando subiectum, redimēdo captiuum, tuēdo violēter oppressum, iugiter se ab omnibus iniquitatibus suis emaculat. Porrò qui facultatibus suis in vſus pauperum distributis, simul se expoliavit mundo, & totis viribus adhæret cœlo: res mundi mundo proiecit, & seipſum Christo deuota mente restituit, ille rectè vias Domini considerare videtur: quæ licet angustæ primo intuitu atq; difficiles appareant, quo tamen eos qui illas ingrediuntur, deducant, animo præuidet, ad immortalitatis nempe gloriam & cœlestium præmiorum dulcedinem. Exerceamus itaq; nos per opera bona in mandatis Domini: in quibus quò amplius profecerimus; hoc altius ad eminentiam contemplationis eleuabimur: cuius lumen quandoquidem vel peccatorum tenebræ excludunt; vel scelerum, cum delectatione, recordatio obtenebrat; vel cura terrenorum obſcurat; tribus his morbis contraria remedia adhibere debemus; vt peccata per crebram confessionem, delectationem illorum per assiduam orationem, sollicitudinem temporalium per quietem à nobis propulsemus: quo commortui Christo ingrediamur in abundantia sepulchrum, post congeſta scilicet, vt scribit Gregorius vitæ præsentis opera, mutabilitati nostræ plenè mortui, in secreto veri luminis occultemur.

Domine à quo omnis sapientia est, & cum quo fuit semper, & est ante æuum; qui creasti illam in spiritu sancto, & effudisti illam super omnia opera tua, & super omnem carnem secundum datum suum, & præbuiſti illam diligentibus te; disciplina intellectus reple nos, crea nobis scientiam spiritus, sensu imple cor nostrum, & mala & bona ostende nobis; vt considerantes mirabilia tua, & magnalia honoris tui videntes, attendamus ab omni iniquo, & nomen sanctificationis collaudemus. Da vt conuersi ad te Domine relinquamus peccata, precemur autem faciem tuam; & minuamus offēdicula; vt altitudinem diuitiarum tuarum mente quietà, corde puro, conscientia læta contemplari possimus. Da vt in creaturarum tuarum

admiratione

*Vid. Born.
de Confid.
ad Eug.
Iob. 5.
Lib. 6. Mo
ral. ca. 18.
Eccle. 1.*

Eccle. 17.

admiratione te semper laudemus, in lectione sacrarumque scripturarum meditatione, te qui veritas es, cognoscamus, in morum circumspeditione foris famam, intus conscientiam bonam ita attendamus, ut quid deceat ad exemplum, quid expediat ad meritum sedulo conquiramus. Eleua tu mentem nostram ad te ut caelestia cogitet, mundanas cupiditates deprime, ut ad te spiritus noster euolet. Concede Misericors Deus, ut quae recta cogitamus, ea opere impleamus, quae autem implemus, ea simplici oculo, non vana gloria ducti, perficere ad laudem & tui nominis gloriam studeamus?

*Hugo in
meditati-
onibus suis*

RESURRECTIO.




Subingatis hostibus.

Mortuus & sepultus Christus IESVS Dominus noster, posteaquam Diuinæ Iustitiæ pro peccato primi hominis abunde satisfecisset, & mortis chirographum contra nos conscriptum deleuisset, tertia die diuina sua virtute à mortuis clauso sepulchro resurrexit; & Sanctissimum suum corpus quod pro salute nostra tantis impiorum iniurijs exposuerat, immortalitatis gloria & admirabili quadam nouæ maiestatis amplitudine decorauit: vt & fidem nostram confirmaret, & corporum nostrorum corruptionem ad futuræ vitæ claritatem restauraret. In gloriosa autem illius resurrectione, quæ typus nostræ fuit, & terræ motus factus est, & angelus Christi à morte ad vitam translatus potentiam nunciatus, mulieribus apparuit. Terræ motum illum Dominicæ resurrectionis virtutem significare scribit Hilarius, Nam conuerso mortis aculeo, & illuminatis tenebris resurgente virtutum cœlestium Domino, infernorum trepidatio commouebatur. Angelus autem Domini de cœlo descendens & lapidē reuoluens, & sepulchro adsidens, misericordiæ Dei patris insigne est, resurgenti filio, ab inferis virtutum Cœlestium ministeria mittentis. Atq; ideo prior resurrectionis est iudex vt quodam famulatu paternæ voluntatis resurrectio nunciaretur. Quod verò primum mulierculæ Dominum vident, salutantur, genibus aduoluuntur, nunciare Apostolis iubentur, ordo in contrarium cautæ principaliter est redditus: vt quia à texu isto cœpta mors esset, ipsis primum resurrectionis gloriæ, & visus & fructus & nuncius redderetur. Emitur verò à Custodibus qui omnia hæc viderant resurrectionis silentium, & mendacium furti honore scilicet sæculi & cupiditate, quia in pecunia honor eius est Christi gloria denegatur. Quoniam verò sacrorum Vatum diuinationes non verbis tantum, sed quandoq; factis etiam ipsis peraguntur, ideo in Iona Resurrectionis Christi signum & indicium præcessisse credendum est: qui triduo in ventre piscis degens, e præsentem tandem morte fuit liberatus;

Canon. 33
in Matth.

Dixit Dominus pisci Et euomuit Ionam in aridam.



IN celeberrima Dominicæ Resurrectionis solennitate illud præcipuè nobis est attendendum, quòd Colossenses Paulus Apostolus monet, vt si consergere cum Christo velimus, quæ sursum sunt queramus, & immortalitatis æternæ q; gloriæ desiderio accensi, quæ sursum sunt sapiamus, non quæ super terram Mortui mundo cum Iesu saluatore crucifigi & sepeliri debemus, si cum eodem suscitari, decoreque Cælestis beatitudinis ornari desideramus. Si ita mortui fuerimus, perpetuò viuemus, si autem ita viuemus hîc, vt non nisi præsentia consideremus, perpetuò moriemur. Est igitur, vt pulchre Leo Pontifex, mors quæ cõsa est viuendi, est & vita quæ causa est moriendi. Nec alibi quàm in hoc transitorio sæculo vtrunq; conquiritur, vt ex qualitate temporalium actiõnum differentix retributionum pendeant æternarum. Moriendum ergo est Diabolo, & viuendum Deo: deficientium iniquitati, vt iustitiæ resurgatur. Qualiter autem resurgere, & resurgendo veram immortalitatem consequi possimus, exemplo sanctarum illarum mulierum, quibus gaudium Resurrectionis Christi fuit ab Angelo nunciatum docemur: quæ Christum à mortuis suscitatum Apostolis nunciaturæ exierunt citò de monumento cum **TIMORE ET**

Collos 2.

Ser. I. de
Resurrect
Domini.

Matt. 8.

GAUDIO .Cum timore utiq; , quia potentiam & Maiestatem Domini in Angelica visione agnouerant: cum gaudio autem, quia quem ardentè quærebant, se iam iam inuenturas credebant: quod etiam mox subsequutum fuit. Subiungitur enim in Evangelio , Et ecce IESVS occurrit illis, dicens Auete &c. Omnis igitur qui Christum immortalitatis auctorem inuenire, diuinoq; ipsius aspectu, immortalis effectus in cœlesti patria perpetuò frui desiderat, ad vocè Angelicam, instinctus videlicet spirituales; & admonitiones Prædicato: um, de monumento citò exire, tenebricosas peccatorum sedes, mundanarumq; vanitatum turpitudines illico relinquere debet; quod ut tanto facilius perficere possit, Timorem & Gaudium sibi comites oportet adiungat, quorum altero ab illicitis deterreatur, altero ad celeriores in virtutibus progressum incitetur. Ita futurum est, ut nec timore ad desperationè propter peccata, præsentè gaudio induci; nec gaudio propter consolationes ad nimiam confidentiam adstante timore pertrahi possit. Per duo igitur hæc, fideles in Ecclesia Catholica constituti, ad immortalitatis dona, gloriæq; sempiternæ diuitias acquirendas deducuntur: quæ per aureum anulū significari non in congruè possunt, cum quemadmodum aurum reliqua metalla, sic illæ omnes orbis opes longè superant, & omnem gratiarum Dei perfectionem, quam Sphærica figura repræsentat contineant. Vnde & prodigo filio ad patrem reuerso annulus in manum eius dari iubetur; qui, ut interpretatur Augustinus, pignus est Spiritus sancti propter gratiæ participationem, quæ digito Dei bene significatur: cuius thesauris tunc vberius ditabimur, quando mortali corpore exuti, ad veram immortalitatis sedem, quæ cœlestis est gloria, transferemur. In hac igitur mortali vita de illa in quam non cadit interitus cogitantes, Timorem Dei, actionum nostrarum veluti quandam testem, temper habeamus, memores

Luc. 15-

Quest. E-
uang. l. 2.

illius

illius quod scriptum est ; Beatus homo qui semper est pauidus , qui verò mentis est duræ , corruet in malum. Nihil magis timeamus , quàm Deum non timere, mandata illius transgredi & carnalibus desiderijs obtemperare. Nisi enim Deum timuerimus, de terra videntium peribimus , & ipsi nobis laqueum Diabolicæ seruitutis iniiciemus, de quo scriptum legimus ; Peccantem virum iniquum inuoluet laqueus, & iustus laudabit atq; gaudebit. Posterius hoc potius quàm prius illud eligamus, vt non, cū viro iniquo, laqueo inuoluamur, sed cum iusto laudemus Deum & gaudeamus. Laudare Deum summa voluptas, summum est gaudium. Verè autem illum laudare non poterimus, nisi timor ipseus in nobis sit. Timor hic, gaudij cœlestis cogitatione augetur, porrò cogitatio illa voluptatem & lætitiã quandam singularem adfert. Cum timore itaque Domino exultare, in lætitiãque seruiendo illum timere debemus, si laudis & Confessionis sacrificium offerre, & ad immortalitatis gloriam consequendam viam nobis sternere voluerimus : cuius pulchritudinem qui cogitauerit, vitæ præsentis delectationes præ illa contemnet, & de vanitatis tumulo consurgens ; cum mulieribus Christum quærere festinabit.

Prove. 29

Psal. 2.

Psal. 99.

Rex Regum & Domine dominantium CHRISTE IESU, qui solus habes immortalitatem & lucem habitas inaccessibilem, da nobis semen cordij & sensui culturam, vnde fructus fiat, vt accipientes in corde nostro quod est futurum, nõ quod in præsentia illa tantum cogitemus & faciamus, quæ ad consequendam veræ immortalitatis gloriam, voluntatem tuam facientibus præparatam, pertinere videamus. Quid enim prodest nobis, Dñe si promissum est nobis immortale tempus, nos autem mortalia opera agimus, & quoniam prædicta est nobis perrennis spes nos vero pessimi

1. Tim. 6

4. Esdr. 7.

Ibid.

vani facti sumus. Adiuua nos ergo Deus salutaris noster; ad iuua infirmam creaturam tuam. Viuifica nos vt opus tuum. Si enim non multiplicaueris misericordias tuas, non viuificabitur seculum: si non donaueris de bonitate tua, de suis iniquitatibus, non poterit decies millesima pars viuificari hominum. Da igitur nobis vt à peccatorum sordibus resuscitati, cum timore & gaudio te solum quæramus, mandataq; tua custodientes immaculati ante conspectum gloriæ ræ constituti; in gaudio cum vultu tuo lætificari, & viam æternam apprehendere valeamus.

Iudæ.

Sal. 20.

1. Tim. 6.

MAGDALENÆ ZELVS.



Ne credentibus obset.

Maria Magdalena, quæ pro nimio quo in Christum nondum passum ferebatur amore, etiam mortui corpus tanta cum diligentia quærebat eum vigilantia sedulitateq; suæ fructum retulit, vt Christus à morte suscitatus vltro se illi videndum offerret: quo quidem exemplo docemur, Christum gratiæ suæ præsentiam illis subtrahere non solere, qui illum toto corde ardentiq; desiderio quærunt. Cur autem Dñus à

Maria

Maria pedes ipsius amplecti cupiente, tangi se passus non fuerit, illa ratio fuisse videtur, quod mulier hæc de Christo quidem eam quam de sancto viro conueniebat fidem habebat, longius tamen adhuc ab ea perfectione aberat, quam vt Christum Patri æqualem & vnum cum Deo esse posset cognoscere. Cùm igitur tactus finem faciat notionis, nolebat Christus, inquit Augustinus, in eo esse finem intenti cordis in se, vt hoc quod videbatur tantummodo putaretur. Ascensio autem ad Patrem erat ita videri, sicut æqualis est patri. Videtur ergo (sicut alio loco scribit idem Augustinus) ista Maria cui dixit Dominus; Noli me tangere; nondum enim ascendi ad Patrem meum, Ecclesiæ gestare personam quæ tunc in Christum credidit cum ascendisset ad Patrem. Quid est tunc credidit? nisi tunc tetigit? Multi carnales Christum tantummodo hominem putauerunt, diuinitatem in illo latentem non intellexerunt, quia non bene crediderunt. Vis bene tangere? intellige Christum, vbi est Patri coæternus, & tetigisti. Si autem hominem putas, & nihil amplius putas, tibi nondum ascendit ad Patrem. Ad confirmandam itaq; gentium fidem, vt tanto melius Christum cum Magdalena tangi & amplecti nobis liceret illius ascensio nobis erat

necessaria; iuxta illud Propheticum;


Synagoga populorum circumdabit te propter hanc in altum regredere.

De Trinit.
l. i. cap. 9.

Serm. 152
de temp.

Psal. 7.





Vigilantia

Io. 20.

Mariæ Magdalenz piam in quærendo Christo sollicitudinem & vigilantiam, quò magis miramur laudamus & extollimus, hoc ad ipsius imitationem vehementiore studio incitari debemus, vt & ipsi in omni vita nostra Christum quærere discamus. Quam ad rem quoniam vigilantia maxime requiritur, curandum est, vt ne vel desidia nos incautos opprimat, vel altus sopor, dum voluptatibus mundi istius indormimus, desideratissimo Dñi intuitu defraudet. Vigilantes igitur nos esse conuenit, si Chrùm inuenire cum Maria desideramus, & ita vigilantes vt simus similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptijs. Ad nuptias quippe Domlnus abiit, inquit Gregorius, quia resurgens à mortuis, ascendens in cælum supernam sibi Angelorum multitudinem nouus homo copulauit. Qui tunc reuertitur cum nobis iam per iudicium manifestatur. Beati sunt serui illi quos cum venerit Dominus inuenerit vigilantes. Vigilat qui ad aspectum veri luminis mentis oculos apertos tenet. vigilat qui seruat operando quod credidit: vigilat

Luc. 12.

In Eang.
Hann. 13.

qui à se torporis & negligentix tenebras repellit: quas repellere non alia ratione poterit, quam si lucernam ardentem in manu habeat, hoc est per opera bona proximis exempla lucis demonstrat, idq; sedulo prouideat, vt ne vnquam ab opere bono, vacuum eum Diabolus inueniat. Ne autem ociosus sit, breuitate temporis admoneri debet ad charitatis & pietatis opera exercenda. quæ tantò feruentius impedi debent, quantò præmia in cælis ampliora habent constituta. Per lucernam igitur in Symbolo nostro bona opera, per clepsydram tempus bene agendi designatur. quæ duo ad eos maximè pertinent qui serui vigilantes esse, ad omnèq; occasionem Christum quærere & inuenire concupiscunt: quod & omnes & semper facere debemus, si Prophetæ momenti obtemperare volumus; qui ad id nos incitans; Quærite, inquit, Dñm & confirmamini, quærite faciem eius semper. Quærere Deum est diligere Deum. Hunc enim sponsa quærit, quem anima illius diligit. Quomodo autem diligendo Deus sit quærendus apud alium Prophetam legimus; qui posteaquam illud dixisset, Quærite Dñm dum inueniri potest, inuocate eum, dum propè est, subiunxit statim, Derelinquat impius viam suam & vir iniquus cogitationes suas. Viam impietatis qui derelinquit, cogitationes iniquas qui abiicit, & benè agit, ille diligere & Deum quærere dicendus est. Quoniam verò peregrinationis istius valde lubrica via est, vt à recto iustitiæ tramite ad iniustitiam facilè deflectere, atq; ita Christum non inuenire quiuis possit, idèò vigilandum, cautè incedendum, & mentibus nostris illud est altè infigendum, quod non solum Apostolus Petrus, qui sobrios nos esse & vigilare iubet, sed & magister omnium nostrorum Christus ipse discipulos alloquens præcipit; Quod vobis dico, omnibus dico. VIGILATE. Videamus igitur, vigilemus, & oremus omnes, lucernas bonorum operum in tenebricosis vitæ istius vijs præferamus: ad Dominum quancumque sese nobis obtulerit excipiendum parati simus omnes. Cùm ignoremus

*Psal. 104.**Cant. 3.**Isaia 55.**I. Pet. 5.**Marc. 3.*

De verbo
Domini.
Serm. 23.

quando tempus illud venturum sit, semper horam illam præsentem adesse intelligamus. Ita enim futurum est, vt nunquã obdormiamus in morte. Omnibus Christus, omnibus Apostolus illius dixit, Vigilate; Omnibus Augustinum etiam illa scripsisse intelligamus, Corde vigila, spe vigila, Charitate vigila, operibus vigila, & quando corpore dormieris, veniet tempus vt resurgas. Cum autem surrexeris præpara lampades. Tunc non extinguantur, tunc in interiore conscientia oleo vegetentur: tunc sponsus ille incorporeis nexibus amplectatur, tunc te introducat in domum, vbi nunquam dormies, vbi nunquam possit tua lampas extingui.

Prove. 8.

Prou. 19.

Esaia 29.

O Sapientia æterna Dñe IESV, qui diligentes te diligis, & qui matè vigilant ad te, eis te inueniendum offers pigredinem quæ soporem nobis altum immisit, aufer à nobis, vt semper audiamus te, & vigilemus ad fores tuas quotidie, & obseruemus ad postes ostij tui. Ne misceas nobis Domine spiritũ soporis, ne claudas oculos nostros, sed da cor nobis, quod te cum Maria diligit, diligendo quærat, quærendo inueniat, inueniendo tanta suauitate perfundatur, vt præ amore langueat mundo, reuiuiscat cælo. Nemo te, Dñe, quærete valet, nisi qui prius inuenierit. Vis ergo inueniri, vt quæraris, quæri vt inueniaris. Potes quæri & inueniri, non tamè præueniri. Auxiliare igitur nobis, & sustenta imbecillitatem nostram, vt te veraciter & perseueranter quæramus, quærendo te, vigilemus, vigilantes Oleo charitatis lampades repletas habeamus, idq; semper cùm diem & horam aduentus tui nesciamus: quo cum virginibus prudentibus parati ad nuptias Cœlestis voluptatis intrare & tecum sine fine gaudere, possimus.

Bernar. de
diligendo
Deo.



MANIFESTATIO IN EMAVS.



Res edocet latentes.

D Vobis discipulis, de Christi morte inter se conferentibus, comes itineris Christus iungitur; vt & dubitationem, quæ tardiores illos ad credendū de salutis humanæ restauratione fecerat, ex ipsorum animis omnem tolleret, & quod olim se facturum permiserat, vt inter duos vel tres in nomine suo congregatos medius esse vellet, id ad rem ipsam conferret. Licet autem manifeste appareat, panem illum in cuius fractione Dñum discipuli duo cognouerant, corporis & sanguinis Christi verum fuisse sacramentum; vt hæc propria & genuina scripturæ ipsius mens esse videatur; non repugnat tamen Catholicæ veritati; si quis per discipulos illos

quales tunc reuera fuerūt, omnes in fide vacillantes intelligat, qui plures hoc infælici seculo nostro reperiuntur, quàm vt numerus illorum iniri queat. Panis autem fractio; diligens scripturarum est perſcrutatio: quæ cum testimonium Christo perhibeant, ab illis veritas & fidei nostræ certitudo petenda est; ita tamen vt non quiuis arbitratu suo panem hunc sibi frangat, non quiuis, iuxta quod illi visum fuerit, scripturas interpretetur, sed vt ex manibus Christi cibum hunc capiat. Porro manuum Christi nomine, Apostoli, Doctores, & Sacerdotes censendi sunt, per quos in Ecclesia sua Christus operatur omnia, quorum iam inde ab initio semper hoc fuit officium, vt populum saluari Verbi Dei cibo reficerent. Ab ijs igitur panem hunc sumat, qui paruulorum more, frangendo illi pares esse non possunt. Id si fecerint cognoscent procul dubio Christum in fractione panis: videbūt quæ ratione totius salutis nostræ mysteria in scripturis, vnanimis Ecclesiæ consensus ostendat, euitabunt stultitiam & tarditatem cordis, vt in vna sancta, Catholica, & Apostolica Ecclesia constituti sicut de alijs doctrinæ capitibus, ita de veritate quoq; corporis & sanguinis Christi, in Eucharistia, sub vnica tantum specie, hoc loco duobus his à Christo porrecta, nobiscum conueniant, idem loquantur, idem & sentiant omnes, atq; ita sanctissimi panis illius participatione pingues facti, Reges etiam seu Cœlestes ciues efficiemur omnes, iuxta illud;

Gen. 49.

Aser pinguis panis eius. Et præstabit delicias Regibus.





Dorum discipulorum in Castellum Emaus euntium, & de omnibus his quæ Hierosolymis acciderant loquendum exemplo, docemur, dum in hac mundi peregrinatione versamur, non alia in re magis nos operam nostram ponere debere, quàm in ijs quæ ad excitandam mentis deuotionem pertinere videntur: quæ, cum ab Augustino pius & humilis affectus in Deum dicatur, humilis ex conscientia infirmitatis propriæ, pius ex consideratione Diuinæ Clementiæ, vera in discipulis illis fuisse liquet, cum & ex conscientia infirmitatis, tristiæ, (quæ humilitatis comes esse videtur) & ex Diuinæ clementiæ consideratione, pietatis (quæ in spem illos erexerat quod Christus esset redempturus Israel) experies minimè fuerint. Hic igitur pius & humilis in Deum affectus, habendus est & nobis, si Christi præsentis copiam nobis dari & ex illo cœlestiû consolationû lætitiâ haurire cupim⁹. Cōsideranda sunt diligenter ea quæ ad humanitatē Christi pertinent, è quib⁹ quāta nobis beneficia præstiterit intelligimus

Luc. 27.

Li. de Spū.
& anima
cap. 30.

vbi autem intellexerimus, fieri non poterit, quin ad deuotionem piè accendamus. Consideranda etiam est infirmitatis nostræ conditio, defectus, & varij humanarū opinionum errores: quibus rectè consideratis ad humilitatem, ab humilitate ad deuotionem excitabimur. Atq; hæ sunt duæ illæ alæ, in symbolo nostro expressæ, quibus hominum corda ad Deum eleuantur, Christi videlicet beneficiorum iugis & assidua meditatio, & humanæ miseræ fragilitatisq; consideratio. Qui cor ita habet eleuatum, accenditur igne desuper, vt & amplius charitate flagret, & terrenis cogitationibus relictis cœlestium tantum gaudiorum desiderio totus ardeat. Hoc enim se facturum Christus Dominus est pollicitus, qui ad hoc venit, vt ignem in terram mittat, qui hominum corda amore Diuino accendat & inflammet. Ac facit ille quidem hoc in multorū cordibus; cuius enim vult miseretur & quæ vult indurat, sed tamen plurimum interest qualem se quitq; ad gratiam Dei acceptandam præbeat. Verissimum nanq; illud est, qui creare nos potuit sine nobis, saluare nos absq; nobis non potest. Debemus igitur ipsimet nobis attendere, vt quàm maximè possumus ad deuotionem animos componamus, & cum maximo desiderio illam quæramus. Si quæserimus eam inueniemus. Hæc enim est illa sapientia de qua scriptum legimus, quòd facile videtur ab his qui diligunt eam, & inuenitur ab his qui quærunt illam. Præoccupat QUI se CONCUPISCUNT, vt illis se prior offendant. Quoniam dignos se ipsa circuit quærens, in vijs se illis ostendit hilariter, & in omni prouidentia occurrit illis: cuius sanè rei in duobus his discipulis euidentis ostenditur exemplum. Nò solum mentem ad deuotionem compositam, sed linguam etiam ipsam ad id accommodatam habebant. Præsto igitur affuit illis Christus; ignem immisit, oculos aperuit, scripturas referauit, cor eorum ita succendit, vt ad inuicem, dicere, & aperte fateri non erubescerent illud, Nonne cor ardens erat in nobis, dum loqueretur in via? Ecce quid sanctum desiderium efficiat in hominibus attende; quid istius sanctæ disci-

Luc. 12.

Rom. 9.

Sap. 9.

Luc. 24.

plinae concupiscentia praestet, vide. Concupiscamus igitur & nos Dominum, & ardebit cor nostrum: eleuemus illud, & non putrescet. Frumentum, inquit Augustinus, si haberes in inferioribus, ne putresceret, leuares ad superiora. Frumento tuo quaeris mutare locum, & cor permittis in terra putrescere? Et vnde, inquis, possum, qui funes, quae machinae, quae scalae opus sunt? Gradus affectus sunt; iter tuum voluntas tua est. Amando ascendis, negligendo descendis. Stans in terra, in caelo es si diligas Deum. Non enim sic leuatur quomodo leuatur corpus. Corpus vt leuetur locum mutat, cor vt eleuetur voluntatem mutat. Mutemus itaque voluntatem: non transitoria sed aeterna cogitemus; non terrena sed caelestia quaeramus. Deum solum diligere studeamus, quem si dilexerimus, legem illius custodiemus. Custoditio autem legum, contummatio; incorruptionis est: incorruptio autem facit esse proximum Deo. Concupiscentia itaque sapientiae, concupiscentia deuotionis (cui qui vacat sapientiae vacat) deducit ad Regnum perpetuum. Discamus igitur ita sapere, vt regnemus, discamus ita viuere, vt in Caelesti patria perpetuo viuere possimus.

In Psal. 85.

Proue. 6.

Deus patrum nostrorum & Dñe misericordiae qui fecisti omnia verbo tuo, & sapientia tua constituisti hominem, vt dominaretur Creaturae quae à te facta est, da nobis sedium tuarum assiducam Sapientiam, vt non aliud quam te concupiscamus, non aliud quam te quaeramus & inueniamus. Mane nobiscum Domine, quando deuotio in nobis versata sit mane, quando dies meditationum spiritualium, quae mentes illustrant inclinatur. Si enim nobiscum manseris, cum lux sis mundi, tenebrae nos non oppriment, vitiorum nox non obscurabit, tenebrarum principes non praeualebunt. Vre renes delectationum nostrarum, vre cor mentemque cogitationum nostrarum igne verbi tui, calore spiritus tui, vt ne malis delectemur, ne mala loquamur, cogitemus. Mentem ad te nostras eleua, vt in hac lachrymarum valle positi cor sursum semper habeamus, in carne constituti spiritu ambu-

Prou. 9.

lemus, in stadio ad brauium gloriæ cœlestis currere contendamus.

THOMÆ DVBITATIO.



Veritas dubia fide.

Sanctos & electos Dei, si quando labi contigit, nostra potissimum id causa fieri, credere debemus: quod vel in illa Thomæ de Christo suscitato, dubitatione videre est. Egit enim, ut scribit Gregorius, miro modo Diuina Clementia, ut discipulus dubitans dum in Magistro sua vulnera palparet carnis, in nobis sanaret vulnera infidelitatis. Plus enim nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quam fides discipulorum credentium profuit: quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens, omni dubitatione postposita in fide solidatur. Videbat igitur, inquit Augustinus, tangebatur; Thomas hominem, & confitebatur Deum quem non videbat, neque tangebatur, Sed per hoc quod videbat atque tangebatur, illud iam remota dubitatione credebat. Porro mysticè per digitum discretio, per manus autem opus nostrum designatur. Digitum

Hom. 26.
In Eang.

Tract. 121
in Ioann.

ergo & manum in latus Christi mittere, est totum id. quicquid in nobis discretionis & operis fuerit in laudem & gloriam Christi saluatoris conuertere: vt in omnibus actionibus nostris, non aliud nobis magis propositum esse debeat, quã vt per attractum lateris Christi, per passionem & vulnere eius assiduam meditationem, ipsius omnipotentiã & Diuinitatem agnoscamus illud cum Apostolo Thoma non iam incredulo sed fideli, subinde ingeminantes; Dominus meus & Deus meus. &c. Cæterum quum nomen Thomæ, abyssum propriè significet, in abysso verò profunditas quædam & obscuritas reperiatur: possumus quoq; per Thomam & obscuritatem infidelitatis, quam ex se habuit. intelligere, & abyssum quoq; profunditatis misericordiæ, quam habuit à Christo; vt de illo scriptum in Psalmo esse videatur. Abyssus profunditatis scilicet Christus, Abyssum obscuritatis scilicet Thomam inuocat miserando; & Abyssus obstinationis scilicet Thomas, Abyssum profunditatis scilicet Christum, inuocat confitendo;

Abyssus abyssum inuocat.

Psal. 41.



Consideratio sui.

Quemadmodum Apostolum Thomam post Sanctissimo-
rum vulnerum contrectationem, Christum *IESVM*
non solum Dominum, verum & Deum confitentem & agnoscentem audientes, humanitatem & Diuinitatem saluatoris itidem confiteri & agnoscere debemus, ita animi illius affectum, quem tunc habuit, quando discipulis Dominum se vidisse afferentibus, nisi videret in manibus eius fixuram clauorum, & mitteret manum suam in latus eius credere noluit, fugere meminerimus. Nulla enim res æque periculosa est, quàm si quis nihil admittere velit, nisi quod proprio iudicio rationiq; suæ consentaneum esse putat. Quod vitium effugere qui volet, infirmitatis propriæ memor seipsum cognoscere & considerare, quæ summa prudentia est, debet, atq; ita facillè perspiciet, quantum alijs quantum sibi tribuendum sit, & ab omni temeritate, opinionumq; cum veritate pugnantium diuersitate dimouebitur. Eam igitur sui cognitionem per arcam oculos intus defixos habentem, cum inscriptione *IPSI NOSMET* in Symbolo expressimus, vt homo Christianus, antequam iudicium aliqua de re. proferat, semetipsum diligenter introspicere debere intelligat. Arca etenim cor est hominis, in quo quid lateat, post Deum nemo scire meliùs potest, quàm ipsemet homo. In hanc igitur arcam cordis, qui oculos intentos habuerit, illud assequetur, vt priorum defectuum consideratione, nõ solum à temerario iudicio amoueat, sed ad veritatis cognitionem indagandam, & vberiore virtutis fructum producendum, incitetur ac propellatur. Quod etiam videns Apostolus, hortari Corinthios non dubitauit, vt semetipsos considerarent in-

2. Cor; 13.

metipfos

metipfos non tentamus, non probamus, non cognoscimus; atq; ita in peccatum cum Thoma prolabimur, à quo mundari, non nisi per vulnerum Christi contrectationem, passionis videlicet illius meritum & pœnitentiam poterimus. Cæterum antequam ad cognitionem nostri perueniamus, tres gradus ascendere nos iubet Augustinus: In primo inquit, ascendimus ab istis exterioribus et inferioribus ad nos; in secundo ascendimus ad cor altum. Quanto nanq; amplius proficimus, tanto amplius ascendimus. Qui enim non ascendit, descendit; & qui non proficit, deficit. In tertio ascensu, ascendimus ad Deum. Primus ascensus fit consideratione mundi & contemptu, Secundus ascensus fit cognitione & contemptu nostri. Tertius ascensus fit, cognitione & amore Dei. Tres itaq; gradus hos ascendere festinemus omnes; in quo ascensu tantò minus grauari nos intelligamus, quantò pulchriores in arca illa, in cognitione sui thesauros esse repositos animaduertimus. Consideremus quàm caduca & transitoria sint illius mundi gaudia, & ascendimus vnum gradum: consideremus quàm proni ad malum, quàm tardi ad bonum simus, & ascendimus alium gradum: consideremus quanta sit sapientia, potentia & bonitas Dei, considerantes autem amore illius accendamus, & ascendimus vltimum gradum, in quo constituti facilè videbimus & agnoscemus arcam cordis nostri, nos ipsos scilicet. quid natura; qui persona, quales in vita & moribus simus. Aperientur oculi nostri, vt videre possimus, quid nobis desit, quid adsit: videntes curabimus, vt si quid boni habemus, id ne per incuriam amittamus: quo caremus id per orationes assequi studeamus. Attendamus itaq; nobis, & in alienis rebus, quæ meritò reprehenditur ab omnibus curiositate relicta, conscientia nostræ arcæ diligentius intueamur, odorè virtutum an vitiorum fœtore sit referta; illa purè conseruanda solliciti, Dominum rogemus, vt nos in omni opere bono confirmet, à vitijs autem custodiat ac præseruet:

Domine qui de cælo respiciens vides omnes filios hominum, ante quem omne desiderium nostrum & gemitus nos-

*Li. de Spū.
& anima
cap. 52.*

*Psal. 32.
& 37.*


ster à quo non est absconditus, ea nobis tuæ gratiæ munera largire, per quæ nosmetipsos cognoscere, infirmitatesq; proprias considerare possimus. Da vt nos cognoscamus quales simus ad malum, quales simus ad bonum. Et quoniam aded sumus proclives ad malum, vt nisi tu nos adiuues, in omne vitium præcipitemur, Dñe, misericordia tua sit ante oculos nostros, quæ nos custodiat, & misericordia tua subsequatur nos, quæ nos erigat. Inualidi sumus ad bonum, Gratia igitur tua in nobis vacua nõ sit, gratia tua maneat in nobis, vt quod sumus, gratia tua simus. Scimus neminem absq; sui cognitione saluari posse. eam itaq; virtutem nobis infunde, quæ mentem purificet, affectus regat, actus dirigat, corrigat excessus, componat mores, vitam honestet & ordinet, eamq; rerum diuinarum & humanarum nobis scientiã subministret, vt præter te nihil desideremus, præter cœlestem gloriam nihil hic quæramus & concupiscamus.

Psal. 2. 5.

Psal. 2. 2.

1. Cor; 15.

PETRI PRIMATVS.




Tot pondera vertens.

QUOS Regni Cœlestis claves Christus se Petro daturum ante passionem suam fuerat pollicitus, eas cum in Cruce fabricasset, à morte suscitatus, illo ipso tempore tradidit, quo ter iteratis vocibus pascendas illi suas oues commisit. Equum quippe fuerat, ut cui tot ouium pascendarum cura & sollicitudo incumberebat, is claves etiam haberet quibus oues à lupis infestatas in vnus ouilis custodia claudere, infestas verò à reliquarum consortio separare posset. Istud itaq; ouile, Ecclesia est in terris militans; quæ Petro & visibili ipsius in terris Vicario Romano scilicet Pontifici, sub inuisibili pastore Christo subest: illius vocem, Christi vocem esse certò persuasum habet, & eius dicto se in omnibus audientē præbet. Per claves autem ligandarum & soluendarum animarum potestas intelligitur, quæ iam latè patet, ut non terre tantum sed cœli quoq; ipsius amplissimis terminis circumscribatur: nec est quod quisquam arbitretur, se cœlestes illas in domos posse ingredi, nisi clauium Petri beneficio, ad tantam felicitatem aditus illi fuerit patefactus. Ad vnus enim Petri & legitimorum illius successorum arbitriū collata hic sunt omnia: ut & peccatorum vinculis astrictos, quos ex animo facti pœniteret, soluere & illos qui gratiam Dei contemnentis, post concupiscentias suas remere serūtur, ligare. eiq; piorum cœtu procul eijcere possint. Atq; hoc quidē est claudere & aperire Cœlos: cuius rei officium penes Petrum tantum eiusq; vicarium Christus ideo voluit esse, ut si fortè inter se membra Ecclesiæ de rebus fidei dissentire contingerit, ad vnus visibilem & supremum in terris Iudicem recurrerent: qui cum, pro ea quâ à Christo accepit auctoritate, errare nunquā possit, dissentientium animos charitatis & vnitatis vinculo sic astringat, ut nulla inter eos schismata, nullæ sint dissensiones, sed perpetua pax, & vna eademq; religio conseruetur ab omnibus. Magna sanè petræ illius super quam ædificata est Ecclesia hinc videtur potestas. ut eius iudicia. quasi Deo per eam iudicante, firma sint: magna clauium etiam vis quæ Isaiam non latuit, dum in persona Christi loqueretur;

*Matt. 16.
Ioan. 21.*

Isaia 22.

Et dabo clauem domus David super humerum eius: & aperiet, & non erit qui claudat, & claudet, & non erit qui aperiat.



Ecclēsiæ unitatem, & concordem de rebus fidei consensus: quàm charam Christus habeat, vel hinc videre licet quòd post gloriosam resurrectionem suam in cælos ascensurus Principi Apostolorum Petro terna voce pascendas oues suas commisit; in Petro autem omnibus illis, quos ab illo per continuam temporum sibi succedentium seriem, descendentes, visibiles in terris istius ouilis pastores constituit & ordinat. Videbat enim bonus ille pastor unitatem in Ecclesia sua aliter non posse retineri, nisi vnus aliquis esset in terris, ad quem omne de rebus fidei iudicium spectaret, qui clauēs ligandi & soluendi haberet, qui visibilem hunc Dei viuētis exercitum, visibiliter regeret & gubernaret. Quoniam autem onus hoc maius esse Christus perspiciebat, quàm vt ei ferendo homines pares esse possent, ipse se præstò

promissu-

semper illis adfuturum, spiritumq; paraclctum eis missurum promissit, cuius præsentia errores omnes declinare, veritatē religionis retinere, vnitatem fidei perpetuò conseruare valent. Hinc illa Christi oratio, qua pro Petro se rogasse restatur, *VT NON DEFICIAT* fides ipsius, vt aliquando conuersus confirmet fratres suos. Rogauit Christus & exauditus est pro reuerentia sua. Fides petri non defecit, nullis persecutionū fulminibus concuti, nullis Hæreticorum machinationibus labefactari potuit. Manet Ecclesiæ vnitas pro qua tam ardens Christus orauit, eadem illa est quæ fuit à principio. Propter vnitatem Ecclesiæ, vna Ecclesia, inquit Augustinus; vna est columba mea, vna est matris suæ. Propter congregationes fraternas per loca, multæ sunt Ecclesiæ. Vna igitur manet Ecclesia, quia ab vno pastore inuisibili in cœlis; ab vno pastore visibili regitur in terris. Vna cum sit, & vnitatis vinculo contineatur, dissensionibus non scinditur, erroribus non diuiditur, hæresibus in se non dissecatur. Pulchrè Ambrosius Ecclesiam curram Dei vocat, quæ regēda est gubernaculis Christi, ne diuersorum populorum motus eam dissensionēq; perturbent. Hoc ductore & rectore currus iste delecta via declinare nō potest, vt ei tutò insidere quilibet possit, qui ad Cœlestem patriam peruenire desiderat: extra hunc vnus enim est) qui alios quærit interitum quærit; & quandoquidem cum Pharaone gentem electam persequitur, obuenit illum aquæ maris, & viuens descendet in infernum. Qualis autem currus sit Ecclesia explicat Gregorius; Plauti, inquit, nomine, vniuersa simul sancta Ecclesia, aut vniquæq; cuiusq; fidelis anima designatur. Cuius profectò plauti rotæ sunt vtrumq; testamentum. Nam dum Sancta Ecclesia vel electa quælibet mens per vetus & nouum testamentum instructa ad æternam vitam nititur, quasi sublimibus prælata rotis ad propositum locum per altum fertur. Instruimur per vetus testamentum vt confiteamur Domino in Ecclesia magna, in populo graui laudemus eum. Instruimur & per nouum testamentum, vt audiamus Ecclesiam, quani qui

*Luc. 22.**Iuan. 17.**In Psal. 141.**Cantic. 6.**in Psal. 118**Lib. 3. in**1. Reg. c. 6.**Psal. 34.*

Matt. 18.

non audient, esse nobis debet, tanquam Ethnicus & publicanus: Si igitur his veteris & noui testamenti præceptis obtemperamus, rotis infidemus, curru vehimur, Ecclesiæ firmiter adhærentes ad montem beatitudinis æternæ deducimur. Sin Ecclesiam contempnimus, & diuersas ab illa nobis opiniones eligimus, nostroq; plus quàm illius iudicio tribuimus, curru illo non vehimur, ac erramus vehementer in via. Tutissimum ergo fuerit, in omnibus Ecclesiæ iudicium sequi, si quis contra Dei præceptum venire non vult; eius decretis & placitis adhære qui pro Ethnico & publicano haberi timet. Non enim omnes esse debent pastores: non omnes doctores, non Apostoli, Prophetæ, & Euangelistæ omnes, vt suo arbitrato quilibet credat, & in causis fidei proprium iudicium sequatur: cùm hoc esset ordinem confundere vnitatemq; scindere: sunt gradus in Ecclesia, distincta sunt in hoc curru loca, vocationes diuersæ diuersas habent sedes: quæ vni ad extremum illi cathedræ vnitatis, in qua Deus posuit doctrinam veritatis, subsunt; eamq; tanquam magistræ & ducem, in ijs quæ ad Deum pertinent sequuntur. Hæc autē est Sancta Romana Ecclesia, cuius fides Apostolico ore laudatur: quæ legitimam Pastorem Christi Vicarium Petriq; successorem singulari gratiæ Diuinæ priuilegio sortita, mater est Ecclesiarum omnium per vniuersum orbem Christianum constitutarum. Supra hanc qui se extollit, quandoquidem super Deum ipsum, qui rector illius est, sese extollit, corruet; & de curru hoc excussus in foueam interitus æterni præcipitabitur.

Rom. 1-

Psal. 136.

Mich. 4-


1. Par. 16.

Domine qui dispersiones congregas, & quos eieceras colligis, salua nos Deus Saluator noster & cōgrega nos, & erue de gentibus, vt quos totius diuisionis & dissensionis auctor Diabolus ab vnitatem tuæ sacrosanctæ fidei incautos abduxit ij ad Ecclesiæ vnitatem reuersi, nobiscum confiteatur nomini sancto tuo, & exultent in carminib; tuis. Cōgrega claudicācem populum illū, qui post alienos Deos, quos nō coluerunt Patres eorum abundo, claudicauit à semitis suis, modoq; in

hanc

hanc modo in illam perniciam transiit. Aperi oculos illorū, vt quibus in tenebris versentur videant, quā errauerint ab vtero matris Ecclesiæ, quā falsa pro veris locuti sint intelligant. Collige eos, qui cum semetiplos eiecissent, & ab Ecclesia tua nefarie præcidissent, tu eos quoq; eiecisti à te & tradidisti in desideria cordis eorū: collige igitur eos, vt ad vnū ouile redeant. Nos autem qui in vera sanctissimæ tuæ fidei confessione persistimus, corrobora, & erue à gentibus quæ te non nouerunt, vt vnum omnes effecti, à timoreq; inimicorum nostrorum liberati, securi tibi setuiamus.

ASCENSIO.



Redit maiore triumpho.

Ascensionis Dominicæ triumphus, & ipsi Christo g' e -
ofus, & nobis non solum vilis, sed & necessarius fuit

Nec enim quicquam magis gloriosum cogitari potuit, quàm quod super excelsa Cœli, terrenum corpus imposuit, ossa intra sepulchri angustias paulò antè conclusa, Angelorum cœtibus illata: in gremium immortalitatis natura mortalis est transfusa. Nobis verò illud cum primis fuerat necessarium ut diuinitati vnita humanitas viam nobis in Cœlum pateret, eoq; præcederet, quò corpora quoq; nostra post mortem peruentura credimus. Ad id autem consequendum vile nobis exemplum in Saluatoris ascensione proponitur. Què admodum enim cum Christo, ut scribit Augustinus, non ascendit superbia, non auaritia, non luxuria, nullum vitium ascendit cum medico nostro: ira & nos si post medicum consideramus ascendere, debemus, vitia & peccata deponere. Elaboremus ut quemadmodum Dominus nostro cum corpore ad superna conscendit: ira nos post illum quo modo possumus, spe ascendamus & corde sequamur. Ipso affectu pariter & profectu ascendamus post illum, etiam per vitia ac passionibus nostras, si vtiq; vnusquisq; nostrum subdere eas sibi studeat, ac super eas stare contuescat, ex ipsis sibi gradum construit, quo possit ad superiora, conscendere. Eleuabunt nos si fuerint infra nos. De vitijis nostris scalam nobis facimus, si vitia ipsa calcamus. Figura Ascensionis Christi præcessit & in Helia, qui per turbinem in cœlum ascendit; & in Raphaele Angelo; qui posteaquam se quisnam esset manifestauit, vtrunq; Tobiam verbis his compellasse scribitur;

Serm. 175.
de Temp.

Ibid Serm
176.

4. Reg. 2.

Tob. 12.

Tempus est ut reuertar ad eum qui me misit vos autem benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia eius. Et cum hac dixisset, ablatuſ est, & ultra eum videre non potuerunt.





Exercitatio Spiritualis

Etsi in omnia Christi Saluatoris acta dictaq; mentis nostræ oculos intentos habere debemus, ascensionis tamē illius triumphy tanto frequentius memoria repetendus est, quanto pulchrius esse iudicamus eō ingredi quò caput nostrum præcessit, ea gloria beatitudinèq; potiri, qualis in ingressu magistri, discipulis eius affulsit. Christum igitur cœlos ascendentem, & à terris eleuatum cogitantes, à terrenis nos primum eleuari oportere discamus, vt iam nil carnale nil mundanum sapiamus. Quam ad rem scala nobis est necessaria, cuius extrema pars mundum (qui specie meretricis instar ad decipiendos homines accommodatæ pulcher videtur, re autem ipsa venenoso serpente plus suis amatoribus adfert exitij) premat. suprema solem beatitudinis Christum, cœlorumq; gaudia scrutetur & attingat. Eam autem quatuor gradus habere scribit Augustinus, lectionem videlicet meditationem, Orationem & Contemplationē. Leatio prout ipse declarat, inquit, meditatio inuenit, Oratio postulat, Contemplatio degustat. Vnde ipse Dominus dicit; Quæ-

*In lib. de
scala paradisi
cap. 1.*

rite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. Quærite legendo, & inuenietis meditando, pulsate orando, & aperietur vobis contemplando. Lectio sine meditatione arida est, meditatio sine lectione erronea est. Oratio sine meditatione est tepida, meditatio sine oratione infructuosa. Oratio cum deuotione contemplationis est acquisitiua. Contemplationis adeptio sine oratione, aut rara aut miraculosa. Sunt autem quatuor causæ quæ retrahunt nos plerumque ab illis gradibus, scilicet inuitabilis necessitas, honestæ actionis utilitas, humana infirmitas, mūdialis vanitas. Prima excusabilis, secūda tolerabilis, tertia miserabilis, quarta culpabilis. Cur culpabilis? Illis enim quos eiusmodi causa à Sancto proposito retrahit, melius erat gloriam Dei non cognoscere, quàm post agnitam retroire. Hæc sanctus ille pater Augustinus de scala ista Paradisi, per quam animo in terris, datur accessus ad degustandam suauitatem in cœlis, quæ quantam adferat voluptatem illi norunt, qui se suaq; omnia Domino tradiderunt voluntati propriæ renunciarunt, beatissimam à strepitu mūdano seiuncti vitam instituunt, & scalæ istius gradus calcantes, cum carne, mundo & diabolo grauissimum certamen sustinent, quos quanto beatiōres intelligimus, tanto maiore studio contendendum est omnibus, qui piè in sæculo viuere volunt, vt quàm proximè ad hæc tam Sancta exercitia, quæ magis ad perfectionem tendunt, accedant. Quorum tamen id conditio, (vt diuersæ sunt hominum in Ecclesia Dei uocationes, quæ ad vnum nihilominus finem dirigantur omnes,) non permittit, Christum in cœlos ascendentem per pœnitentiæ gradus sequi totis viribus contédant & elaborent, seduloq; prouideant, vt blandas mundi huius illecebras negligant, proterant, & conculcent. Hi sunt gradus quibus itur ad astra, hæc scala est, qua ad æternæ lucis claritatem homines ascendunt; cuius latera corpus istud est & anima, in quibus compunctionem cordis, oris confessionem, & operis satisfactionem figentes, ascensum nobis ad superna præparamus. Euigilet igitur vnusquisq; nostrū, diligenterq; seipsum

consideret,

consideret, vtram in partem plus sit propensior ad ascendendumne cum Christo, vt sicut scriptum est; ibunt de virtute in virtutem, ipse quoq; semper opera pœnitentiæ faciendo, de virtute in virtutem progrediatur, an verò ad descendendum cum Diabolo in profundum inferni tanquam lapis. Ascendere cum Christo gloriosum, descendere cum Sathana calamitosum. Ascensus vitam, descensus mortem sempiternam precium habet. Qui ascendit igitur scalam hanc, caueat ne descendat, ne mittens manum ad aratrum retro respiciat, sed semper per sancta exercitia, per pœnitentiæ & alia charitatis opera, plus vltra progrediatur, illius memor quò altius ascenderit, hoc mercedem sibi repositam ampliores, vt desiderium progrediendi crescat, quò altius ascenderit, hoc casum etiam esse periculosiorem, vt sibi diligenter attendat. Scalæ summitas Cælum tangit, extremitas mundum premit. Calcato mundum & cælos ascendisti: non quæras ea quæ in terris sunt, & superna attigisti. Confortare igitur & esto robustus, vt ne te quæuis aura tentationum Diabolicarum à sancto proposito retrahat, amor præsentium, de gradu beatitudinis deturber: quod malum vt euitare possis, & Deus assidue tibi orandus, & pulchritudo solis æternæ felicitatis semper consideranda, votisq; omnibus est expetenda.

Domine qui in æternum permanes, solium tuum in generatione & generationem, mitte spiritum sanctum tuum de altissimis, qui cogitationes nostras timidas & incertas providentias nostras, dirigat, gubernet, regat, gratiaq; sua illustret, vt qua via Christum IESVM Dominum nostrum Cælos ascendisse videmus eadem & nos vsq; ad contemplandam tuæ Celsitudinis speciem, perducamur. Da nobis cor quod te amet, mundum contemnat, vitia detestetur, & fugiat: da linguam quæ te laudet, sanctumq; nomen tuum glorificet, vt in omnibus actionibus nostris, nil aliud spectemus, quàm amoré tuum animæ nostræ utilitatē & proximi ædificationem.

Tbren. 5.
Sap: 9.

Accinge infirmos robore, quo hostis inuisibilis ferociam superare, carnis superbiam domare, mundanarū delectationū vanitatem conculcare possint, vt talibus trophæis ornati per virtutum gradus eò valeant ascendere, vbi tu cum Filio spirituq; sancto regnas in sæcula sæculorum.

SPIRITVS SANCTI MISSIO.



Et fatur & vrit.

Qvandoquidem multa Christus Apostolis dixerat, quæ vt tunc erant imbecilles, eorum animi capere non poterant, Spiritum Sanctum post suam in Cælos ascensionem se illis missurum est pollicirus: qui & omnem veritatem eos doceret, & ad Christi fidem vbiq; disseminandam sortes & animosos redderet. Illis ergo post ascensionem Dñi pariter in eodem loco congregatis, factus est repente de cælo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totā domum vbi erant sedentes. Et apparuerunt eis dispersitæ lin-

Matt. 14.

Actor. 2.


guæ tanquam ignis, seditq; supra singulos eorum, & repleti sunt omnes spiritu sancto, & cœperunt loqui varijs linguis. Quæ scripturæ verba cum quodam loco produxisset Augustinus; Flatus inquit, ille, à carnali palea corda mundabat: ignis ille scœnum veteris concupiscentiæ consumebat: linguæ illæ quibus loquebatur à spiritu sancto impleri per omnium gentium linguas futuram Ecclesiam designabant. Sicut enim post diluuium impietas superbia hominum turrim contra Dominum ædificauit excelsam, quando per linguas diuersas diuidi meruit genus humanum, vt vnaquæque gens lingua propria loqueretur ne ab alijs intelligeretur, sic humilis fidelium pietas earum linguarum diuersitate Ecclesiæ contulit vnitatem, vt quod discordia dissipauerat colligeret charitas, & humani generis tanquã vnus corporis membra dispersa ad vnum caput Christum compaginata redigeret, & in Sancti corporis vnitatem dilectionis igne conflaret. Ab hoc itaq; dono Spiritus sancti prorsus alieni sunt, qui odunt gratiã, qui societatem non retinent vnitatis, Gregorius autem Pontifex Spiritum sanctum ideo scribit in igne apparuisse quia ab omni corde quod replet torporem frigoris excutit, & hoc in desiderio suæ æternitatis accendit In igneis autem linguis monstratus est, quia idem spiritus coæternus est filio, & habet cognationem maximam lingua cum verbo Verbum quippe patris est filius: & quia vna est spiritus & verbum substantia, idem spiritus monstrari debuit in lingua vel certè quia per linguam procedit verbum in linguis apparuit spiritus; quia quisquis sancto spiritu rãgitur, Dei verbum, id est vngenum Dei filium confiteretur: & negare Dei verbum non valet, quia iam sancti spiritus linguam habet. Vel certe in linguis igneis spiritus apparuit, quia omnes quos repleuerit, ardentem pariter & loquẽtes facit. Linguas igneas Doctores habent, quia cum Deum amando prædicant, corda audientium inflammant spiritus sancti missionem à Ioele prædictam legimus;

Serm. 187
de Temp.

Genes. 11.

In Homil.
sup. si quis
diligit.

*Effundam Spiritum meum super omnem
carnem & prophetabūt filij vestri & filia, &c.*



Q Vandoquidem virtutes omnes & reliqua Spiritus sancti dona, sine Charitate non quidem nihil sunt, sed hominibus nihil profunt, ideo sub finem Charitatis symbolum, ad quod omnia sunt referenda putauimus adijciendum, quã virtutem qui habet, perfectum Spiritus sancti donum habere credendus est. Ea igitur cum certissima sit morum & vitæ Christianæ regula, perpendiculo non incongruè potest assimilari. Quemadmodum enim instrumento illo, rectitudinẽ vel obliquitatem operis prudens architectus diiudicat, ita ad Charitatis normam Christianus homo, qui spiritualis ædificij fabricam ex omni virtutum genere cupit erigere, actiones suas omnes diligentissimè perpẽdere atq; examinare debet; vt quid cum illa conueniat, quid non, videat, videns Charitati contraria fugiat, illi consentanea amplectatur. Quod si fecerit in ædificando nunquam poterit errare. Duo autem habet hoc Charitatis perpendiculum latera, quorum vnum

ad Dei alterum ad amorem proximi pertinet. Vtraq; ita sibi cohærent, vt in ædificio spiritali, si quis vtraq; secutus non fuerit, inæqualitate compaginum molem vniuersam non solum derurpet, sed etiam planè dissoluat. Amandus est Deus, amandus est & proximus. Num autem Deum amare videtur is qui proximum odit? Num proximum diligit ille, qui Deum non diligit? Clara sunt illa Ioannis Apostoli verba; Si quis dixerit quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, inendax est Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere? Conueniant latera perpendiculari necesse est: amor Dei & proximi simul retinendus est illi, qui Cœleste ædificium construere, & legem implere desiderat. In hoc enim vnico verbo Dilige, legem quæ in duabus tabulis lapideis digito Dei scripta est, & Prophetas omnes p̄dere Saluator ipse testatur: eius mentem Apostolus Paulus explicans, posteaquam varia Charitatis encomia enumerando recensuisset, **OMNIA** inquit **SUSTINET**. Sustinet legem & Prophetas, sustinet omnia tã præcepta quam consilia Diuina. Sustinet mala, fortiter aduersa quæq; propter iustitiam supportando: Sustinet bona, diligenter in humilitatis custodia gratiarum dona conseruando: Sustinet dulcia, cum gaudentibus gaudento, nec se de prosperis extollendo. Verba Dei audit & custodit, Fidem augeat, Veritatem in omnibus retinet, continentiam amat, puritatem mentis seruat, mundum temnit. patientiam diligit, sancta Conuersatione gaudet, Humilitatem amplectitur, semper in melius proficit, tentationes vincit, gratitudinis nunquam obliuiscitur, salutis maximam curam gerit, scripturas scrutatur. Pœnitentia delectatur, Cœlestia concupiscit, terrenis non implicatur, conscientiam regit, admonitiones amplectitur, opera bona exercet, tribulationibus proficit, semper lætatur, semper timet, semper amat, Deum sequitur oratione excitatur, à malis abstinet, mansuetudinem sectatur, sinceritatem

I. Ioan. 4.

103

I. Cor. 13.

tem colit, gratiarum munera conquirat, religionem tuetur, superioribus obedit, spe roboratur, innocentia pollet, libertatem conseruat, carnem macerat, ambitione non mouetur, misericors est, à iustitiâ non recedit, fortiter dimicat, desideria carnis non perficit, Concordiæ studet, compunctiõni inuigilat, Contemplationi vacat, immortalitatem concupiscit, Vigilans est, Deuota, Noscit seipsam, vnitati constanter adhæret, & vt paucis omnia comprehendam, per omnes virtutum gradus à terris ad cælestia eleuatur. Omnia igitur sustinet, vt vides, charitas: omnia bona continet in se, Tene illam & in ea omnem inuenies scientiam Quæ ideo laudata nobis placere debet, vt seruetur, ideo commédata amari, vt exerceatur. Ad tantæ virtutis igitur amorem excitemur omnes. Nihil nobis durum, nihil hic difficile præcipitur. Amare iubemur, quod natura ipsa cum primis suauis & iucundum esse dicitur. At quem amare? Amare Deum qui prior amauit nos; amare proximum qui carò nostra est. Amare Deum qui summa bonitas & pulchritudo est, amare proximum qui imago Dei est. Amare Deum ex toto corde ex tota anima: amare proximum sicut seipsum. Te ipsum vtique non amas, qui Deum & proximum non amas. Si autem te non amas, quid, ô homo te crudelius cogitari, quid ferocius reperiri potest? An illud non legisti? Nemo carnem suam odio habet. Carnem tuam odio habere videris, cum animam negligis, qua neglecta carnem ad æternum interitum deducis. Animam negligis, qua neglecta carnem ad æternum interitum deducit. Animam negligis si legem non implet: legem non implet, si charitatẽ quæ finis est legis non habes. Vt igitur te ipsum diligere scias, charitas est tibi habenda, quam tamdiu habere non poteris, quam diu cupiditatem inordinatam rerinueris. Radix est omnium bonorum Charitas, inquit Augustinus, & radix omnium malorum est Cupiditas. Et simul ambæ esse non possunt. Quia nisi vna radicitus euulsa non fuerit, alia plantari nõ potest. Hinc cassum conatur aliquis ramos incidere, si radicem non contendit euellere. Huic itaque Augustini consilio

ac quiet-

acquiescentes, diligenter solliciti sumus, vt radicem Cupiditatis extirpare possimus, quò radix illa Charitatis in cordibus nostris crecat, & diffundatur per Spiritum Sanctum qui tunc datur & adest nobis, quando in actionibus nostris omnibus normam illam bene viuendi retinendo; in dilectione Dei atq; proximi abundamus.

O vnice generis humani amator, CHRISTE IESU: qui de altissima tuæ maiestatis sede in castissimum virginis matris tabernaculum, descendens, pro ea, qua nos vsq; in finem dilexisti, charitate, carnē nostram assumpsisti, frigora, nuditatem, famem, sitim, pertulisti; probra, contumelias, sputa, flagella spinas, ipsamq; acerbissimam crucis mortem sustinuisti: ad confirmandā fidem nostram à mortuis resurrexisti; ad spem roborandam cœlos ascendisti, ad charitatem in nobis inflammandam Spiritum sanctum paraclētum misisti: emitte nunc quoq; lucem illam tuam de alto, quæ mentium nostrarum tenebras illuminet: emitte ignem illum cœlestē, qui frigiditatem deuotionis à cordibus nostris depellat. Emitte Spiritum tuum sanctum in nos, qui carnem nostram viuificet, vt hic viuētes tibi soli seruiamus, te amemus & perpetuò laudemus. Respice Domine preces humilitatis nostræ vide infirmitatem, & laborem nostrum considera, quia absq; gratiæ tuæ donis nihil possumus. Adiua nos igitur & infirmos roboras, errantes instrue, fessos refice, pauperes Charitate diti: quā si habuerimus, nihil proficiet inimicus in nobis & filius iniquitatis nō apponet nocere nobis. O tu Consolator optime, dulcis hospes animæ, cordis mei vile tabernaculum visita, cuius præsentia, mens illustretur, pectus amore Diuino saucietur, oculi dulcissimos lachrymarū fontes producant, pedes ad currendam mandatorum Dei viam festinent, lumbi Castitatis Zona præcingantur, manus ad bene agendum accingantur. Si te præsentem habemus: vitam in nobis habemus si nos deseris, cū Saulo affligimur, morimur, perimus. Ne derelinquas igitur nos Dñe; ne discedat, Spiritus tuus Sanctus à nobis. Mane nobiscum, quia summa chari-

tas es, & manebimus in te. Si manebimus in charitate manebimus in te & tu in nobis. O verè beata domus, quæ te hospitem habet: tibi cum Maria & Martha ministrat: te in egenis cibat, verba tua audit, ad pedes tuos sedet, lachrymis eos lauat. Verè beata & gloriosa domus, quam in te homini manenti præbes: qui cum pauper sit, in tam sublime Palatium intromittitur: cum vilis & abiectus sit, tecum qui Deus immensus es habitat, & cum Angelis reliquisq; Cœli ciuibus, dulcedinis tuæ voluptate fruitur. Maneas itaq; in nobis Domine, & manebimus in te: Charitatis spiritum infunde in cordibus nostris, & diligemus te: visita nos, & videbimus te: ostende nobis faciem tuam, & inueniemus te, saluiq; erimus in Cœlestem illam patriam introeuntes, & te cum Deo Patre Spirituq; sancto laudantes & glorificantes in sæcula sæculorum,

A M E N.



M PARENETICVM.

*Memorare.*

FInem huic symbolorum nostrorū opusculo imposituri, illud adijciendum existimauimus, quod te Christiane lector, non solū conditionis sed etiam officij tui admoneret. Homo etenim cū sis, moriendum tibi est, cū statutum sit omnibus hominibus semel mori. Ita autem mori velle debebis, vt bene moriaris. Bene morieris, si bene viueris. Bene viues, si Christum Saluatorem, in cuius actionibus expressa virtutum omnium vestigia conspicias, imitatus fueris. Quam quidē ad rem etsi virtutis ipsius pulchritudo meritō te potest inuitare, tamen vnica illa quatuor

Eccle:7.

nouissimorum recordatio tantum ad eam adfert momenti, vt cum sapiens dixerit illud, in omnibus operibus tuis MEMORARE nouissima tua & in æternum non peccabis, te Christū non modò in terris viuentem, sed & morientem, & in Cœlos ascendentem imitari, minore compedio docere possit. Quoniam autem neq; Christum imitari, nec cum illo in cœlos ascendere potes, nisi à peccando abstineas illa tibi remedia sunt conquirenda, quæ te à vitijs abstrahant & reuocent. Sunt autem quatuor; Recordatio videlicet mortis, iudicij, inferni, & Æternæ Felicitatis. Mors per falcem quæ omnia demetit; iudicium per sceptrum siue virgam, quæ omnia iuste decernit; Infernus per leonis ignem spirantis fauces, quæ omnes damnatos deuorant; Regnum cœleste per diademata gloriæ, quod omnes beatos coronat, in hoc symbolo exprimitur. Quid horribilius morte? quid terribilius iudicio? quid intolerabilius gehenna? quid iucundius gloria? Mors vnus cuiusq; certa; dies & hora est incerta. Iudicium Dei certum; num autem secundum te vel contra te sententia pronuntiabitur, est incertum. Si secundum te, cœlum coronandus petisti; Si contra te, in infernum cruciandus descendisti. Cœlū bonis operibus promittitur; infernus peccatis debetur. Elige igitur vtrum velis, num bene agere & coronari, num malum facere, & cruciari. Mors & vita in manu tua est Ignis gehennæ, & aqua Cœlestis refrigerij tibi apponuntur. Dum viuus extende manum quò vis: post mortem, non tuum eligere, sed illius iustissimi iudicis est iudicare. Quamobrem cum vita tua nunc in potestate tua sit, attende tibi, & ætatis tempore, de superuentura hyeme cogita, in annonæ vbertate de fame futura sollicitus esto: dum tempus est & sol lucet operare. Veniet enim nox quando nullus poterit operari; nec bona nec mala pati. Memorare ergo nouissima tua semper, vt de vita quæ post mortem piè in hoc sæculo viuentibus debetur, curam suscipias. Sonet in auribus tuis vox illius tubæ terribilis, quam Sanctus Pater se audire scribit; Siue enim inquit, comedo siue bibo, siue aliquid aliud facio; semper vi-

Hieronymus
in Matth.

derur

detur illa tuba terribilis sonare in aurib9 meis, surgite inortui, venite ad iudicium. O beata recordatio, quæ peccati occasiones fugat, Diabolum confundit, vitam emendat, suspiria adducit, lachrymas prouocat, pœnitentiam auget, sancta desideria inspirat. Beatus hic timor, qui in futuro sæculo, securitatem parit, consolationes adfert, lætitia sempiterna terminatur. Beatus ergo tu quoq; eris, si te semper moriturum cogitabis quia non peccabis : beatus eris, si semper pavidus eris, quia post ab auditione mala non timebis. Beatus eris, si te ipsum hic iudicaueris, quia post non iudicaberis. Hæc igitur cogitatio, semper altius animo tuo infideat, nulliusq; rei potiore rationem ducas, quàm temporis huius vsuræ, quæ quanto breuior tibi conceditur, tanto promptiorẽ ad omnia pietatis opera exercenda & alacriorem te præstare debebis: quandoquidem eius rei tibi sunt in Cœlis ea reposira præmia, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt : quæ vt nobis omnibus gratia & misericordia Domini nostri IESV CHRISTI contingat assequi, supplices Diuinam illius Clementiam implorare nunquam intermittamus.



**PRIOR INDEX MEDITATIONVM SYMBO-
licarum Vitæ Christi cum suis lemmatibus.**

P Recursor Domini. <i>Noctis tenet & consinia lucis.</i>	pag. 1.	Paruulorum præstantia. <i>Vita monstrata via.</i>	pa. 64.
I ncarnatio Christi. <i>Sub lege veteri sine lege mariti.</i>	pag. 4.	Adulteræ liberatio. <i>Thalamis desponsa pudicis.</i>	pa. 68.
N atiuitas. <i>Nigras discutit umbras.</i>	pag. 7.	Languidi curatio: <i>Vita reseruat postere.</i>	pa. 72.
C ircumcisio. <i>Legem lege resoluit.</i>	pa. 10.	Cæci nati illuminatio. <i>Spiritu ne carnea distent.</i>	pa. 77.
A pparitio. <i>Coeunt hoc federe gentis.</i>	pa. 13.	Lazari resuscitatio. <i>In pristina reddo.</i>	pa. 81.
F uga in Ægyptum. <i>Mibi peruia tellus.</i>	da. 17.	Ingressus Hierosolymæ. <i>Tales in bella venimus.</i>	pa. 86.
I nfanticidium. <i>Flos succisus aratro.</i>	pa. 20.	Templi repurgatio. <i>Procul este profani.</i>	pa. 91.
D octrina. <i>Hoc gigante virebo.</i>	pa. 24.	Cœna suprema. <i>Angelus hoc & homo.</i>	pa. 96.
B aptismus Christi. <i>Sic nascimur astris.</i>	pa. 28.	Lotio pedum. <i>Seruilia soluit.</i>	p. 102.
A quæ in vinum mutatio. <i>Hic fontes Deus ipse nouos.</i>	pa. 32.	Confortatio in horto. <i>Alieno lassus aratro.</i>	p. 108.
T entatio. <i>Exacto certamine victor.</i>	e. 36.	Iudæorum casus. <i>Quis obuiam ausit ire.</i>	p. 112.
L eprosi Samaritani mūdatio. <i>Hoc gratia suadet.</i>	pa. 40.	Iudæ osculum. <i>Ad vtrumq; paratus.</i>	p. 116.
D æmonū in porcos expulsio. <i>Quo ducit quemq; voluptas.</i>	pa. 44.	Testimonia falsa. <i>Vis nescia vinci.</i>	p. 122.
P anis multiplicatio. <i>Sufficient lenire famem.</i>	pa. 48.	Percussio. <i>Vsq; aded furor insanit.</i>	p. 127.
M agdalenzæ pœnitentia. <i>Iuuat vsq; morari.</i>	pa. 52.	Petri negatio. <i>Vt vigilent alij.</i>	p. 131.
T ransfiguratio. <i>Nouitate extrusa vetustas.</i>	pa. 59.	Christi ad Pilatū adductio. <i>Vertit in rem glorie.</i>	p. 138.

Iudæ suspendium.	p. 142.	<i>Vi vestiatur omnes.</i>	
<i>Scelus sceleri ingerit.</i>		Tenebræ.	p. 189.
Christi ad Herodem taciturnitas.	p. 147.	<i>Hæc violentia celo.</i>	
<i>Muta libertas.</i>		Sepultura.	p. 193.
Barrabæ cum Iesu collatio.	p. 152.	<i>Mors deuicta iacet.</i>	
<i>Vaga rerum vices.</i>		Resurrectio.	p. 197.
Flagellatio.	p. 157.	<i>Subiugatis hostibus.</i>	
<i>Non leui motu.</i>		Magdalenæ Zelus.	p. 202.
Coronatio.	p. 161.	<i>Ne credentibus obstet.</i>	
<i>Regium capiti decus.</i>		Manifestatio in Emaus.	p. 206.
Christi coronati præsentatio	p. 165.	<i>Res edocet latentes.</i>	
<i>Factorem noscite vestrum:</i>		Thomæ dubitatio.	p. 212.
Sententiæ mortis.	p. 170.	<i>Veritas dubia fide.</i>	
<i>Sententia discors.</i>		Petri Primatus.	p. 216.
Crucis baiulatio.	p. 174.	<i>Tot pondera vertens.</i>	
<i>Hæc iatacula nudis.</i>		Ascensio.	p. 221.
Christi mors in Cruce.	p. 178.	<i>Redit maiore triumpho.</i>	
<i>Stillauit voribus arbor.</i>		Spiritus sancti missio.	p. 226.
Vestigium diuinitatis.	p. 183.	<i>Et futurus & vrit.</i>	

Posterior Index variarum virtutum Christiano cuiusque conuenientium.

P Rædicatio.	p. 2.	Patientia.	p. 21.
<i>Vox consona factis.</i>		<i>Gaudet patientia duris.</i>	
Fides.	p. 7.	Conuersatio sancta.	p. 25.
<i>Viris industria firmat.</i>		<i>Succos oblita priores.</i>	
Manifestata veritas.	p. 9.	Humilitas.	p. 29.
<i>Cognoscens age.</i>		<i>Ex humili potens.</i>	
Continentia.	p. 10.	Spiritualis profectus.	p. 33.
<i>Per ardua dulcis.</i>		<i>Robore fulta virescit.</i>	
Puritas mentis.	p. 14.	Tentationum depulsio.	p. 37.
<i>Deus non despicies.</i>		<i>Legis munimine tutas.</i>	
Vitiorum fuga.	p. 18.	Gratitudo.	p. 41.
<i>Si fata præmar;</i>		<i>Videns laudabo.</i>	

Salutis curia.	p. 45.	<i>Sine argento.</i>	
<i>In honore, in honorem.</i>		Aperta fidei confessio.	p. 133
Verbi Dei intelligentia.	p. 49.	<i>Non erubescō.</i>	
<i>Scrutamini.</i>		Obedientia.	p. 139.
Pœnitentia.	p. 53	<i>Obedite.</i>	
<i>Renouamini.</i>		Spes.	p. 144
Desiderium cœleste.	p. 60.	<i>Non confundit.</i>	
<i>Vt comprehendatis.</i>		Innocentia.	p. 248.
Terrenorum contemptio:	p. 65.	<i>Non recedam.</i>	
<i>Nen quæ super terram.</i>		Libertas.	p. 154.
Conscientiæ securitas.	p. 69.	<i>Non seruiamus.</i>	
<i>Nec ui nec metu.</i>		Mortificatio.	p. 158.
Correctio fraternalis.	p. 74.	<i>Mortuus terreo.</i>	
<i>Nolite obdurare.</i>		Honorum neglectio.	p. 162.
Opera bona.	p. 78.	<i>Nil solidum.</i>	
<i>Dum tempus habemus.</i>		Misericordiæ opera.	p. 167.
Tribulationes.	p. 83.	<i>Cum fratre.</i>	
<i>Non ad interitum.</i>		Iustitia.	p. 171.
Læticia spiritalis.	p. 88.	<i>Quod iustum est.</i>	
<i>In Domino.</i>		Fortitudo.	p. 175.
Timor Dei.	p. 93.	<i>Non ledetur.</i>	
<i>Fortis vltor.</i>		Abnegatio sui.	p. 180
Amor Dei.	p. 98.	<i>Cum Christo.</i>	
<i>Diligite.</i>		Concordia.	p. 184.
Imitatio Christi.	p. 103.	<i>Quæ pacis sunt.</i>	
<i>Vt sequamini.</i>		Compunctio.	p. 191.
Oratio.	p. 109.	<i>Pro peccato meo.</i>	
<i>Dirigatur.</i>		Contemplatio.	p. 194
Resipiscencia.	p. 113.	<i>Exercebor & considerabo.</i>	
<i>Non adijcias.</i>		Immortalitas.	p. 199.
Manfuetudo.	p. 118.	<i>Timori & gaudio.</i>	
<i>In bono malum.</i>		Vigilantia.	p. 204.
Sinceritas.	p. 124.	<i>Vigilate.</i>	
<i>Aut est aut non.</i>		Deuotio.	p. 209.
Gratiæ acceptatio	p. 128	<i>His qui concupiscunt.</i>	

Consideratio sui. <i>Ipsi nosmet.</i>	p 213.	Charitas.	p.228.
Vnitās Ecclesiæ. <i>Vt non deficiat.</i>	p 218.	<i>Omnia sustinet.</i>	
Exercitatio spiritualis. <i>In virtutem.</i>	p.223	Symbolum paræneticum <i>Memorare.</i>	p.233.

MENDA TYPOTHETICA EMENDA.

P Ag. 5. vers. vltimo prima. pag. 8. vers. 1. dissoluentis. pag. b. vers. penultima. illuxisset, veritas. pag. 23. vers. 20. totius. pag. 39. vers. 5. illecebris. pag. 42. vers. 32. pro virili. pag. 43. vers. 12 attigerimus. pag. 61. vers. 22. molestiasq; pag. 63. vers. penul. ceruorum. pag. 66. vers. 6. occupabantur. p. 17. vers. 13. fidei naufragium.	Ibid. vers. 20. translati. pag. 109. vers. antep. confugientes: p. 115. vers. 8. Hæreticarum. p. 153. v. 2. Vbi enim non est Iesus: pag. 156. vers. 24. nos de tempore. pag. 159. vers. 11. vsq; quàm. pag. 191. vers. 25. flagella. Ibid. vers. 27. iniquitatem suam. pag. 196. vers. 2 violenter: pag. 207. vers. promiserat. pag. 230. vers. penultima incaſsum
---	--

Quæ cum his irreperant minutiora vt si pro si &c. catus lector facile dignoscet & ignoscet.

FINIS.



In SYMBOLVM. I. I.



1.

Seps morsu Mortem : CRVX ic̄to sepe salutem.
Hoc sapis ? hoc, iam, quid sit sapuisse capis.

2.

Quem uiuus sapuit probitate TRETERTVS IESVM,
Hoc, post fata, libro nos sapuisse docet.

In Anagramma eiusdem.

Sors levis rebus dominatur imis:
Prosperis tollit, leuat hæc sinistris.
TV TERAS SORTEM : monet hoc volumen
Voxq; TRETERTI.



PRACO CVSTODIS digma TRETERI,
 adimens CRVX super astra cruat.

MAS TRETERVS.

Anagramma.

TV SORTEM TERAS.

L Vdit in humanis fors fallacissima rebus:
 Quod parit illa, perit; quod struit illa, ruit:
 Diuitias parit his, alijs molitur honores,
 Sors vbi Morsue rotam verterit, omne labat.
 Docta quod at pieras dedit ære perennius extat.
 Tu pic TV SORTEM docte TRETERE teras.

16

24.5.68

urgoo

6

42

10

209

57

848

2-26

15

3787

[Faint handwritten notes, possibly including '12 may' and '1968']



0

[Faint handwritten text at the bottom of the page]

